




2
6
496











x30

A

XXXVII
SIMONIN
Sert. VRB. VII

2.6.496

2.6.496



ANTVERPIÆ, EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI. M. DC. XXXVII.

Ex legato D. Equitis Antonij Francisci de Marinis



VRBANO VIII. ORBIS ET SACRORVM APICI.


ESTA Tua, maiore Tibi affectu, quàm pompâ repræſento, PATER SANCTISSIME; ſed quantulocumque adumbrata ſtylo, gloriæ tuæ debita. Alteri inſcribere non debui, quia Tua, & palàm ad Te perducunt. Ac licet inconſultè præfidens videri poſſim, quòd ea litteris proſequi; temerarius, qui Nomini etiam Tuo dicare præſumpſerim: verecundi tamen auſus, neque temeritati deputari, neque audaciæ debent. Sic Te colere debui, ſic volui, cùm aliter non poſſem. Et quis vitio vertat? cùm ipſum etiam Deum, à quo & pro-



pter quem tantus es, cuiuis liceat impunè celebrare.

Equidem cùm pauculas eiusdem generis siluas, ceu primitias longioris operis, Eminentissimo Principi FRANCISCO Cardinali BARBARINO (nomen faciet vt memineris) tradidissem, SANCTITATI TVÆ consecrandas, seruitutis meæ officium non es aspernatus. Et quorsum, cùm illæ admissæ, grandius aliquid per otium non tentassem? imò quia sic acceptæ, festinam priorum indiligentiam pensare debui; iterùm hanc posteà pensaturus, quò Tui obseruantior audiam. Quo in ausu si quid inconsiderantiæ subest, innoxium illud, & ignoscendum: à Te maximè, qui omnia omnibus ignoscis. Ego profectò cùm ea tantùm describere sim aggressus, quæ aut opibus tuis ad Vrbis & Vaticani ornamenta excitata sunt magnificè, aut Sapientiâ in Religionis incrementum Orbisque

bisque tranquillitatem peracta feliciter, non sum veritus, vt Tua Tibi sorderent gesta; quæ non priùs à Te prodiere, quàm totius sæculi plausum, laudes & admirationem ferrent.

Solet vulgus pictorum vultus Tuos expressos coloribus sine fraude circumferre; Maiestas tamen, Virtutes, & illa animi Tui Diuina vis non perinde ab illis adumbratur. An idem mihi in gestis non sit, quod illis in imagine integrum? Fateor quidem inferiori stylo à me exprimi: sed si par afferendus, non vni mihi, sed omnibus etiam qui litteras tractant, est silendum.

Excitabit alios hic conatus, & dulce mecum periculum tentare multi volent; non dubito quin feliciùs, quoniam ingeniosiùs: hoc tamen ausim profiteri, tantum absuturos illos à gestorum Tuorum magnitudine, quantum ab illorum nitore elegantiâque absum. Interim ego illis, etsi

auidus magis quàm capax, præludam; ac res à Te gestas, vtcumque repræsentabo: non quò celebriores fiant; dudum quippe humanas laudes tantum excessêre, quantum omne mortale fastigium Tua conditio; verùm vt si quibus perspectæ adhuc non sint, innotescant eis, Teque Tuis in factis demirentur, quem cominus adorare non possunt. Interest omnium, cognoscere quid præclari Pater omnium moliatur. Opera illa Tua quæ Roma suspicit, Vrbis ambitu continentur; ac licet famâ suâ totum iam Orbem impleuerint, nescio quo tamen pacto præsentiora fiunt cùm describuntur.

Audiunt omnes consecratum & auctum à Te Vaticanum. Sed an illa vocalia marmora quæ nobilem inaugurationem testantur, legunt? hîc illis inscriptionem subiicio, ne ignorent. Tuum verò Tetrastylon, quo nil pulchrius sol aspicit, quis vel ex imaginibus etiam ritè intelligat, nisi

vnde

vnde ſumptum , vbi ſtatutum, cognouerit? Hîc felix ſolertia legetur, quâ inglorium Panthei metallum in nobiliorem ſpeciem mutatum erexiſti, Apoſtolici ſepulchri ornamentum , miraculum templi, Tuæque magnificæ Pietatis ſpecimen numquam ſatis prædicandum.

Quid arcem Æliam , à Te inſtauratam, munitam, abſolutam? quid fontem Pincium, Quirinales hortos, Sebaſtiani & Bibianæ templa, Michaëlem muſiuum, Nauiculam Petri, odea, ſtatuas, Mauſoleum tuum, quanta ſint, an vlli vmquam fama, quæ omnia in maius augere ſolet, explicare pro dignitate potuit? Atqui habet hîc Lector vnde animo concipiat, quamquam oculis ea non vſurparit.

Academiam porrò , quâ laudem & patrocinium Sapientiæ conſecutus es, pulcherrimis ſubſtructionibus amplificatam; Armamentarium Vaticanæ bibliothecæ ſubſtructum, in quo Litteras armis,

mis, Arma litteris, inuſitatâ mirabiliq́ue coniunctione deuinxiſti, quàm libenter hîc intuebuntur, qui Romæ non aſpexere?

Mitto varios pontes, arces, portus, tuâ curâ, tuis ſumptibus, ad Italiæ vel ſecuritatem, vel commodum excitatos: Legationes miſſas ad Reges, victoriam Siculam, Portam ſanctam apertam & clauſam, propagatam ad Metaurum ditionem, Oratores barbarorum admiſſos, ornatos ſepulchro. Mitto Diuos ex hominibus factos, Andream Corſinum, Eliſabetham, Franciſcum Borgiam, Iaponios Martyres. Mitto Roſas Principibus conceſſas, Equites Conceptæ Virginis approbatos, confirmatos: reſtitutum Breuiarium, ſacros Hymnos exultos, Antiſtites iuſſos ſuis in diœceſibus reſidere: Pacem toties procuratam, ſancitam, & mox (ita voueo) ſanciendam. Quæ certè à nemine legentur, quin & Te illo

faſtigio

faſtigio dignisſimum credat, & diuturnos Tibi annos vel diſpendio ſuorum apprecetur.

In illâ verò Tuâ in Chriſti locum ſurrogatione, inauguratione, in lauru, in ſole Tuo, quanta virtutum & doctrinæ Tuæ, quanta diuini in orbem amoris argumenta, qui Te talem tantumq́ue mortales temperare voluerit, deprehendet? hæc pro virili parte omnibus inculcatum, commendatum iui, vt ſcirent omnes, à quo, quàm moderatè, quàm ſanctè regerentur. Eadem ſupplex, & in genua prouolutus, oblatum Tibi venio, vel in ſeruitutis teſtificationem, vel in accepti beneficij memoriam, quo mihi ad pedes Tuos olim proſtrato pœnæ ſceleribus meis meorumq́ue debitæ condonationem feciſti.

Quâ in re ſi vitium, ſi temeritas eſt, amori tota imputanda, qui temerarium me & audacem fecit. niſi feciſſet, in-

** gra-

gratum reliquiſſet. Quare cùm in alterutro peccandum fuerit, malui inconſideratus, quàm beneficij immemor videri. Vale PATER BEATISSIME, & hos conatus, ſi fortè arriſerint, tutare: ſin per imprudentiam in Te deliquerunt, ignoſce tenuitati, imò amori; à quibus factum, vt minus poſſem, plus auderem. Louanij, pridie Kal. Maias anni M. DC. XXXVII.



EMI-

EMINENTISSIMO PRINCIPI FRANCISCO CARD. BARBARINO

S.R.E. VICECANCELLARIO.


TERVM ſupplices Tibi ſe ſiſtunt meæ Muſæ, PRINCEPS EMINENTISSIME: iterùm patrocinium implorant, vt molles aditus ad Patruum tuum habeant. Non ſorduerunt olim, quia diuinâ tuâ manu oblatæ. An eas reſpuet VRBANVS, ſi illa denuò acceſſerit? Honeſtum ſit, quidquid in manus ſumere non grauaris; & à Te offerri, placuiſſe eſt. Numeroſiores eunt; ſic oportuit, vt prolixius obſequium meum teſtarentur: aliquanto vrbaniore cultu; ſic decuit, vt priorum feſtinationem penſarent. Ceterùm cùm in numero, tum in cultu etiam, animum Tibi Tuiſque addictiſſimum recognoſces.

An verò ex integro non ſit, his beneuolentiæ Tuæ deuinctus argumentis, quæ nec recenſeri à me

tenuitas mea, nec Eminentiæ Tuæ patitur ſplendor? Sed quid? Vos cæleſtes & diuini viri, ſic eſtis plerumque, vt aliorum paruitatem ex magnitudine veſtrâ cenſeatis. Benefica nimirum eſt præſtans quæque natura: tum ſe credit ampliſſimam, cùm ſua cunctis impendit. Solem imitatur, ſeu potiùs ſol ipſa eſt, in aliorum magis vſus quàm ſuos effulgens. Tu illo in honorum gradu ſic luces, vt commune in Te ſidus litterati, publicam lucem omnes nanciſcantur. Laudes tuas non proſequor: Naturam tantùm & Virtutem Tuam adumbro; vtramque omnis Tibi elogij inſtar. Hoc tamen ingenuè dixerim, officio tribuere me, quod alius daret dignitati. Nempe cùm Maximilianum & Balthaſarem à Gandauo, à magnis Heroïbus ad magna natos, ita Romæ exceperis, vt illum æſtimatione, fauore, hunc graui morbo decumbentem exquiſitis alexipharmacis iuueris; cùm denique ampliſſimi palatij hoſpitium nobiliſſimo fratrum pari magnificè obtuleris, non poſſum qui tum Romæ cum illis verſabar, alienum beneficium, meum non interpretari: certè debui; vt immortales Tibi gratiæ agerentur, fieretque tantæ beneuolentiæ recordatio perennis: quæ, Tuum meritum ſi ſpectem, fuit infinita.

Ac ne priuatæ cauſſæ mihi quoque deeſſent, Tuis vocibus debeo: quas cùm recolo, pudorem illum renouant, quo ſum perfuſus, dum ab Vrbe abeunti ſignificaſti, dolere Te quòd maturiùs

Tibi

Tibi cognitus non essem. Superûm fides! egóne tanti, vt in tanti Principis cognitionem deuenerim? tanti, vt me cælesti eius ore illud etiam rescire oportuerit? Et quorsum non redeam, vt pleniùs noscar; imò verò vt Purpuram, cuius existimationi me totum debeo, colam animosiùs? Redeunt igitur pro me VRBANIANAE SILVAE, vel huius notitiæ nomina expediturae, vel officia (si sinis) exhibituræ seruitutis. Non debui rursum velle agnosci, nisi seruum profiterer: non potui profiteri, nisi hoc qualicumque hostimento. Cui si faueris; vt seruitutis titulus ad laudem mihi abundè, sic fauor satis erit ad tutelam. Potiora consecrare voluissem: sed vt donaria templis appensuri, ceram ferunt, si auro carent, tum affectu supplent quod muneri deest; sic ego labores Tibi dicaturus istos, quia nitidiores non attuli, obseruantiâ & cultu pensatum velim, PRINCEPS EMINENTISSIME, quidquid stylo deliqui. Louanij, pridie Kal. Maias anni M. DC. XXXVII.

LECTORI.



ABES *Siluas à me, nec lento mentis partu natas, nec planè extemporales: etsi concitatam styli festinationem, Siluarum ratio postulet. At quid magnum protinus fieri potest? Etiam ipsæ siluæ, vnde nomen huic Poësi, vt siluæ sint, non vno anno consequuntur. Diu crescunt, vt diutiùs viuant.*

Contendi quidem festinare maximè; sed ipsa dignitas argumenti, ipsæ nouarum rerum difficultates toties iniecere manum festinanti, vt hærere sæpè, & iam laboriosè producta, incudi reddere cogerer.

Quamobrem plusculum temporis operi ex interuallo regustando dare decreueram: verùm ab amicis acriter reclamatum; qui multis cùm me rationibus vrgerent, istis demum suam in sententiam perduxere: Nullâ morâ, nullâ limâ, materiæ exprimendam dignitatem: præstare vt hæc qualiacumque Pontifici viuo canerentur, quàm demortuo: secundas curas næuos aliarum detersuras.

Igitur si meliora de se pollicentes haud fastidimus, maculas meas excusatas hoc nomine cupio, dum obligatam fidem expediam. Nunc te pauca de operis formâ præmonitum velim. Carminibus solutam orationem adiunxi, cùm vt eorum nauseæ consulerem, qui poëtica nescio quo insincero sensu reijciunt; tum vt multa elucescerent sic prolata, quæ obscura videri poterant, quia vincta numeris.

Ex

VIII

Ex infinitâ porrò Gestorum VRBANI *multitudine ea præcipuè ſelegi, quibus Pontificatus eius inclaruit, aut quæ plus viſa ſunt habere ſplendoris; certè quæ vberiorem carmini materiam offerebant. Cetera ſparſim attigi, ne opus vltra modum excreſceret, & faſtidio eſſet quod paratum volui oblectationi. Annorum item ſeriem non attendi; ea Scriptoris annalium cura: res tamen ipſas ſicut inter ſe ob ſimilitudinem cohærent, ita opere ipſo coniunxi. Quæ ſi arrident, vti ob communem Parentem* VRBANVM *debent, habes cuius facta ſuſpicias, & mecum commendes. Vale.*

Series & Librorum Argumentum.

LIBER I.

Pontificatum, Virtutes & Doctrinam VRBANI explicat.

II.

VATICANI ornamenta.

III.

Romam auctam, ornatam.

IIII.

Religionis amplificationem.

V.

Procurationem Orbis.

ECCLESIASTICVS

CAP. XLIV. ET XLV.

LAudemus viros glorioſos & Parentes noſtros: laudemus VRBANVM; *quem excelſum fecit Dominus, & ſimilem ſibi. Statuit ei teſtamentum æternum, & dedit illi Sacerdotium gentis, & beatificauit illum in gloriâ, & circumcinxit eum Zonâ gloriæ, & induit eum ſtolam gloriæ, & coronauit eum in vaſis virtutis.*

GESTO-

GESTORVM VRBANI VIII. PONT. MAX.

LIBER PRIMVS.

PONTIFICATVS. VIRTVTES. DOCTRINA.



QVANTVS ſit Pontifex VRBANVS, quiſquis ſcire amas, expende qualis fuerit adhuc priuatus. Diſces Tiarâ priùs dignum, quàm donatum : merita & virtutes in Solium tuliſſe, non accepiſſe. Per omnes honorum gradus ad ſummum deuenit; illis ſemper maior, huic par. Infantiam ſic exegit, vt Tiaræ deſtinatus: adoleſcentiam his ſtudiis & virtutibus excoluit, vt debitus crederetur. Vbi ad negotia, hinc ad Inſulas & Oſtrum vocatus, pu-

blica secum iudicia & vota traxit: neque alius aptior visus, qui Christiani orbis clauum temperaret. Tandem, quod puero fata, mores iuueni, viro maturitas & prudentia, portendebant; senex obtinuit. Pontifex autem tot orbem meritis complet, vt iudicia & spes de se conceptas non exæquet tantùm; quod optimi solent; sed superet etiam, quod est diuinum.

SILVA PRIMA.

Mens sacra veri, quæ sapientium
Spes temperatas numine prouehis
In maius, & castum poëtam
Virgineo sinis ire cliuo;
Ostende fontes limpidioribus
Riuis fluentes: &, precor, integras
Permitte lauros, vnde nullus
Abstulerit capiti coronam.
Tuque ô Tonanti proxime, Tu mei
Cura & laboris materies, tuo
VRBANE *dum Regno, tuisque*
Roma viget, Superique plaudunt
Factis; minorem me genibus sine
Laboriosum tendere barbiton,

Famam-

Famamq́ue adoratumq́ue nomen
Supplicibus ſociare chordis.
Nam quis Latini pectinis arbitrum,
Orbisq́ue Patrem carminibus nouis
Ritè ordiatur; ſi canendi
Iura negat, facilemq́ue vultum?
Non ſi benigno numine, debilem
Chelym ſecundet; grandia moliar
Exilis, immenſasq́ue laudes
Mobilibus fidibus perennem?
Quicumque rerum Principem, amabili
Errore ducti, concinimus; rapit
Nos ardor incautus, ſacræque
Materiæ ſpecies proteruum
Fallit laborem. Vix benè cœpimus,
Mens victa nutat. Opprimit impares
Rerumq́ue maieſtas, & ingens
Magni operis properata moles.
Quid ergo? præſtet verba ſilentio
Finire? præſtet vela retrò dare
Quàm nomen auguſtum procacis
Ingenij tenuare culpâ.
Ignoſce Princeps, iam retinaculis
Feror ſolutis. Nec mora libera eſt,
Nec fas reuerti: ſerua euntem:
Longa via eſt, dubiusq́ue curſus.
Referre Regni ſigna tui libet;
Crebris vt infans innueris iocis,

Tuæ reseruari Tiaram
Et Solium Latium senectæ.
At non fuerunt hæc pueriliter
Effusa in auras: ipse iocos Deus
Formabat, infantisque voces
Omen erant Apicis futuri.
Ad Sceptra natos, arguit indoles,
Designat æther: iudicia Ætheris
Illi, voluntatemque Diuûm
Spesque suas properare feruent.
Dum fata captas, dum sequeris Deum,
Virtute fulsisti, & Sophiâ & Themi.
Hos vita per cultus ad ostrum
Ausonium sine labe creuit.
Addam vt gerendis rebus idoneus
HENRICI *alumnum sidereis aquis*
Lustraris: vt magnum PHILIPPVM
Connubio sociaris auspex.
Idem Tiaræ debitus, ac diu
Optatus, altè sceptra soli tenens
Scribêris, & fulcire Romam
Imperio potiore votis.
Tu Regna Regnis æmula, Tu truces
Compescis iras gentium, & horridi
Viresque conatusque Martis
Prosubigis sine cæde victor.
Arsisset atris seditionibus
Padusque & Alpes, atque per Insubrum

Amœna

Amœna bellatrix Enyo
Innocuas violasset vrbes,
Si non salutis blanda parens Apis Pax Casalis.
Extinxet æstus gliscere feruidos,
Ensesque pacasset furentes
Melle pio, tenerisque pennis.
Tuum flagranti nomen in Africâ
Regem subegit Æthiopum PETRO:
Primosque Congorum vocasti
Romuleam dociles in aulam.
Asserta Rhenus colla Tibi leuat;
Tibi retusum Parrhasium scelus
Adscribit, & fusas phalanges
Liuoniæ, gelidique Lappi.
Debet Polonus auspiciis tuis
Scytham reuinctum: Bistonidum minas
Fractas, catenatisque tractos
Moscouiæ Proceres lacertis.
Exterminatam Gallus Api tuæ
Debet profanæ pestis Erynnidem,
Rupemque quam disiecit acer
Fulmineis LODOICVS *armis.*
Quem Tu secundo lumine respicis,
Hic & fauentes Cælicolas habet,
Et laureato crine victor
Arma tholis inimica figit.
Qui BARBARINIS *auspiciis caret,*
Siue ille regnis siue opibus potens,

Fortuna non ſequetur illum,
Nec nitidis dea clara palmis.
Quo Muſa tendis? præcipitem chelym
VRBANVS *odit. Deſine futilis*
Solemque ſcintillâ, leuique
Oceanum cumulare guttâ.

AVGVRIA PONTIFICATVS VRBANI VIII.



CORONAS & Tiaram Numinis eſſe munera, quàm conſtans tam vera eſt gentium perſuaſio. Etenim cùm hominem Deus capacem cupidumque ſocietatis procrearit, æquum fuit vt Principes ſeligeret, qui multitudinem populorum continerent, ne ſolueretur; & eius in eâ vices obirent, vt floreret. Quò fit vt quos aliis præficere conſtituit, pulcherrimis ſæpè prodigiis ad Imperium vocet. Credo, vt Principatum Dei donum eſſe fateamur. Poſſem recenſere quos è priuatâ conditione, per columbas, apes, aquilas vel ad Solium cæleſtis coronarum Dator, vel ad Tiaram euocarit. Verùm VRBANVS in manibus mihi: & quàm copioſum ad laudem, quàm auguſtum ad maieſtatem in eo argumentum! Audita eſt ſæpè eius pueri fatalis, & inſpirante Numine iactata vox, quâ Tiaram ſibi, Petrique claues præſagus infans ſponderet. An ſatis? Etiam

Primâ Siluâ id libatum, in hac non attingetur.

Etiam cùm Patres de Principe imponendo Ecclesiæ consultarent, Columbæ fenestris eius aduolantes, indices fuerunt, illum vnum esse quem sibi Vicarium Christus, Religio Patrem exposceret: his auguriis prænuntiatus est VRBANI Pontificatus; vt diuinum ob diuinas aues, pacificum ob tranquillas expectaremus.

Hermannus Hugo Epist. dedicatoriâ piorum desideriorum primæ editionis.

SILVA II.

INnocuæ volucres, iurataque fata columbis,
Ecquod tam subitum, quòve tenetis iter?
Non equidem Diuûm sine mente, sine omine adestis.
Dicite: Quid felix iste volatus habet,
Dum celeres petitis Romana palatia? magni
Vos ego successus auguror esse duces.
Dicite: Num triplici Dominum dum quæritur orbi
Designare libet, qui benè cuncta regat?
Ite bonæ volucres: certum date Patribus omen:
Ite, sacro PETRI *consulite Imperio.*
Dum loquor, æthereum pennis plaudentibus agmen
Obsedit limen magne MAPHAEE *tuum.*
Accipe sanctum omen. Superos agnosce vocantes.
His tibi prodigiis certa Tiara venit.
Non petit ista tuas sine Numine turba fenestras:
Orbis Te Dominum præscia sentit auis.
Te nisi sentiret, non hæc præsagia ferret.
Vana sacris auibus non solet esse fides.

Tota ſuperfuſis cùm terra latebat in vndis,
Et mundus tantùm ſidera & æquor erat;
Cùm niger haud caperet componi marmora coruus,
Prima maris pacem candida nouit auis:
Nouit, & ore pio ramum frondentis oliuæ
Compoſiti retulit pignora certa freti.
Hinc pia credulitas populos deſcendit in omnes;
Nuntia pacati dicta columba Dei.
Priſca nouis in Te redeunt miracula ſignis;
Imperio plaudit turba pudica tuo.
Sæpè Deus Sceptris præludit, ſæpè Tiaræ,
Fataq́ue per volucres abdita ſæpè docet.
Dux fuit ad claues Fabiano viſa columba,
Quemq́ue recuſabat iuſſit adire gradum.
Illa Tibi pariter præit ô MAPHAEE, *bonoq́ue*
Ad rerum culmen Te vocat augurio.
Acceſſit miris Patrum ſententia votis,
Creduntur curæ publica fata tuæ.
Non capis hæc impar, nec tanta ad pondera nutas:
Tutò humeris ſedeat terra polusq́ue tuis.
Tecum Chriſtus adeſt. Tecum Sapientia; quasq́ue
Ille Tibi vires ſufficit, iſta regit.
Amborum ductu, rerum accipe tutus habenas:
Officio non eſt lenta futura manus.
Quid Tibi diffidis? Romæq́ue orbiq́ue regendo es:
Augurium ſuadet, iudiciumq́ue poli.
Eia age pone metus, & tempora ſubde Tiaræ:
Sic viſum Superis, ſubde; Tiara tua eſt.

Sume

Sume PETRI claues: PETRI conſcende tribunal:
Te Dominum poſcit, Te ſibi terra Patrem.
Omnia ſub pedibus vertique regique videbis.
Soſpes erit meritis axis vterque tuis.
Scilicet atque hominum venies Deus. ipſaque Roma
VRBANI ſupplex ſceptra pedesque colet.
Purpurei hoc poſito facient diademate Reges,
Atque tuas poſcent ſæcula mellis apes.
Sæcula iam per Te Romanis dulcia currunt:
Per Te regnabit dulcis in orbe quies.
Matres mellis apes: Tu ſæcula mellea conde.
Mel ſubamara domat: Tu mala noſtra fuga.
Fallor an hoc etiam ſuadent ſperare columbæ?
Speremus, fati eſt viſa columba boni.
Illa dat, illa fouet placidæ præſagia pacis.
Pax quoque conſilio non ſemel icta tuo eſt.
Ecce etiam ſciſſum bellis diſcordibus Orbem,
Atque animos Regum conciliare paras.
Eueniant quæcumque paras. Pax temperet arma.
Claudatur Ianus. triſtis Erynnis abi.
Sin belli gentes prædæque ardetis amore,
Ite, Hebrum atque Getas iſte laceſſat amor.
Sunt Solymæ bello repetendæ, & Achaica regna:
Eſt Rhodos, eſt iuſto Marte domanda Cyprus.
Sunt aliæ ereptæ proauis crudeliter vrbes.
Proueniant cauſſâ prælia digna ſuâ.
Quid fruſtrà fortes laceratis viſcera? Diuos,
Diuos vindictam flagitat iſte furor.

Victori ut victo ploranda trophæa petuntur:
Et vinci, probrum est; & superare, nefas.
Ponite crudeles terrarum incommoda fastus:
Non facit ad magnum laurea fœda decus.
Pax VRBANI *apibus, Pax est accepta columbis:*
Rex apium stimulis, felle columba caret.
Nec vos irasci pulchrum, nec mutua fas est
Alterum in alterius bella mouere necem.
Euentura cano. Ponet ciuilis Enyo.
Noui quid fati prouida portet auis.

CREATIO VRBANI VIII.

MAPHAEVS *Cardinalis* BARBARINVS *quinquaginta suffragiis Pontifex renuntiatus, vt pietati moderationique suæ satisfaceret, omnem creationis gloriam Deo adscripsit; hoc nummis inciso lemmate,* FACIT MIRABILIA MAGNA SOLVS.



QVAM dissentaneus est huic modestiæ superborum sensus! etiam magnitudinem affectant inanibus factis: ac si quid inusitatum moliuntur, miraculum vocant. Itáne miraculum, quod perituris manibus exstruitur, ne feliciùs duret, quàm incœperat? Miraculum sit, cuius ineluctabiles ruinæ trahunt semper & consepeliunt Auctoris superbiam? Ego nihil mirabile appellarim quod hominum curâ stat, quod quæri, quod desiderari aliquando

potest.

poteſt. Vnius Numinis opera, admirationem magnitudine promerentur. A ſolo quippe magno, magna; à mirabili, miracula proficiſcuntur. Eludant licet arrogantes, & ea quæ vulgò orbis mirabilia nominantur, æſtiment: verum eſt ac immotum VRBANI lemma, Deum mirabilia magna ſolum efficere. Si hæc profeſſi dignitatem attenderis, terrenus eſt hominum Deus; ſi cognitionem, veritatis oraculum: factis denique, omnium laudem, plauſum, amorem promeretur. per illa tamen hoc ſpectat, vt Deum ſolum Mirabilia moliri credamus. Sit fides Auctori; eiuſque Pontificatum Numinis mundo conſulere volentis miraculum æſtimemus.

SILVA III.

NEc tu vocanda es magna Semiramis
Superba muris femina, nec tuus
Pilisque pendens arcubusque
Famæ adeò memorandus hortus.
Nec vos vetuſtum Pyramides opus,
Ægyptiorum crimina Principum,
Rerum inter eſtis efferendæ
Mira. Tuum Labyrinthe nomen
Deleuit ætas. Fama breuis fuit
Templi Dianæ: ſplendidum opus, malè
Æternitati deſtinatum,
Nocte breui celer ignis hauſit.

Non exſtruentem vana, putaueris
Miranda moliri : hæc fuga temporum
Euertet, aut magnam repentè
Mole trahent nimiâ ruinam.
Solis coloſſum quærimus. Occidit
Domus Neronis. Procubuit Pharos.
Decusque Mauſoli; ruinæ
Relliquias tegit alta tellus.
Stetêre thermæ. Phidiaci Iouis
Ebur refulſit. Roma vetus fuit.
Quod priſca mirabatur ætas,
Vmbra modò eſt, & inane nomen.
Quid magna parui ſuſcipimus? Deus
Miraculorum ſolus idoneus
Auctor, celebrandis vtrumque
Prodigiis ſtupefecit axem.
Nempe ille terram fundat in aëre,
Vagisque ſtantem cingit aquis globum,
Ceu mœnia orbi muniendo
Exſtrueret, liquidumque vallum.
Vides Olympi ſideream domum:
Quot aſtra tollit, quot micat ignibus,
Tot magna diuinæ relucent
Terrigenis monumenta dextræ.
Phœbea lampas ſiue rapit diem,
Siue illum Eoo reddit ab æquore,
Deum abnuentum cæcitatem
Perſpicuis radiis reuincit.

Numen potenti, nec tenerâ manu
Aduersa rerum semina continet;
Mundique concentum perenni
Dissidio numerisque miscet.
Nunc sanciendâ Christiadum fide
Gentes sub vno Principe colligit;
Qui more, linguâ dissidentes,
Relligione pari, sacrisque
Iisdem coërcet. Illius, illius
Nec vsitatum nec tenue est opus,
VRBANE, *labenti quòd Orbi*
Sufficeris, placideque regnas.
Tu Christianos quis foueat status
Curas; & Orbi sollicitus caues,
Quid error, aut cruenta Thracis
Aula paret, Phlegethonque discors.
Rerum arbitro Te, fluxa licentia
Frænum momordit, culpaque tollere
Vultus inaudax delitescit;
Omne nefas cohibente lege.
Nescis pudendis parcere sontibus,
Seu puniendos Relligio citat,
Commune seu bonum, Æquitásve
Justa pio Dea, iusta sonti.
Per Te Latini gloria nominis
Sedisque crescit. Jam ditio & Tuæ
Claues ab Euro porriguntur
Ad Zephyrum, Proceresque Congi.

Prudens Tiaræ ſubijcis & PETRO
Sceptrum Piſauri : fontibus irrigas
Vrbem Quiritum : iamq́ue priſci
Te Domino rediere mores.
Feciſti vt aptis Ælia ſurgeret
Arx cincta muris : vt rapidus Tybris
Olim, explicati pontis arcus
Nunc placidus docili amne tranet.
Auguſta in ipſo templa Palatio
Ponis Sebaſti. Lætior incolit
Ædem integratam Bibiana,
Grande tui monimentum amoris.
Per Te columnæ quatuor inclytum
Patris ſepulchrum clauigeri tegunt;
Decus columnæ Vaticani
Atque pares oneri polorum.
Hinc ſe perennem crederet alter, hinc
Magnum vocaret : Tu melior, Tibi
Nil ſumis, & ſoli fateris
Magna Deo tribuenda : ſolum
Miranda Numen condere. Celſior
Vox iſta ſurget Pyramidum ſitu,
Maiorq́ue famâ, maior annis
Priſca Ducum monumenta vincet.

TIARA VRBANO VIII. IMPOSITA ET D. MICHAELI AB EODEM CONSECRATA; CVM HAC FORMVLA, TE MANE, TE VESPERE.

PARVA de ſe in abiectâ fortunâ ſentire, virtuti vix adſcripſerim: ſenſus eſt potiùs à ſordibus obſcuræ conditionis expreſſus. In ſummo autem gradu, moderationis & fortunæ capacem eſſe, ſupra mortalitatem eſt, atque haud ſcio an ſupra virtutem. Te ſpecto, VRBANE, cui propria illa laus, vt lucem Tibi circumfuſam; totam Dei non tuam arbitrêre. Tua tamen fit cùm illam reſignare amas. cauente hoc Deo, vt qui ſibi nihil tribuunt, omnia conſequantur; omnium iacturam faciant, qui ſuum, aliquid vocant. Commodùm Pontifex creabaris, & iam faſtigium honoris Deo ſubmittebas. Tiaram autem, hoc eſt inſigne diuinitatis cùm induiſti; exuiſti Pontificem, vt honoratior cliens ad MICHAELIS pedes prouoluerere. Conſecraſti illi Tiaram, quaſi debita Tibi non eſſet.

Imò

Imò vt eius ſupplex noſcerere, nummos hoc ſeruitio celebres cudi iuſſiſti, ceu velles æternùm facere, quod feceras ſemel. In his Tu nummis ad genua MICHAELIS procidis. Nónne maior, quo demiſſior? In his tuum illi animum hac officiosâ prece declaras: TE MANE, TE VESPERE. Quis non credat, Te noctis & diei temporaſic velle diſpungere, vt ſupplicem & laudatorem ſemper habeat. De die paratus es eum venerari: noctu cùm ceteri conquieſcent, Tu ad eius aras vis excubare. Hoc nimirum eſt Tui obliuiſci, vt ſis in ſocium officioſior. Socium tuum MICHAELEM dixi; nec appellationem illam Angelorum Princeps fugiat. Etenim vt Tu Eccleſiæ moderator, ſic ille cuſtos audit: ita prorſum eidem labori ambo incumbitis. Ambo ſocij eſtis. Tu MICHAELIS, ille VRBANI. Soles tamen Tutelarem illum & Patronum appellare: at profectò non tam quid velis attendet, quàm quid mereare. Ita placebit illi hæc demiſſio, vt dignitatis tuæ non obliuiſcatur. Sic ſe Tutelarem præſtabit, vt Te collegam ſciat & colat, Domini ſui partes egregiè ſuſtinentem.

SILVA IV.

QVæ ſciens gemmas ſociare dextra
Nobili finxit ſtudio coronam?
Cuius ardetis redimire ſanctæ
Tempora gemmæ?

Noſco.

Nosco. Tot baccis decus illigatum,
Hic Apex splendens triplici coronâ
Debitam poscit Latij Parentis
Cingere frontem.
Cinge longùm orbi veneranda, cinge
Tempora VRBANI: Pater ille mundi
Et piorum Rex, capiat supremi
Pignus honoris.
Quid? sacros crines simul attigisti,
Amouet sanctum decus; & superbum
Gemmeo textu MICHAELIS aris
Dedicat aurum.
Sume, ait, Diuûm generose vindex,
Sume iurati famuli Tiaram:
Me tuum Phœbo reduci, tuumque
Nocte videbis.
Nil meæ possunt sine Te coronæ.
Cultus hic caussas mihi dat timoris:
Pondus est, pondus, nisi fulciatur,
Iure timendum.
Rector inuictæ MICHAEL iuuentæ,
Præpetum pugnax equitum Magister,
Ecquis hæc audis? age, siue Cæli
Agmina lustras,
Siue ad vmbrosum violentus Orcum
Fulminas; quæ te plaga cumque habebit,
Aureâ cælis animas piorum
Lance ferentem,

Aut graui incestis frameâ timendum,
Lætus huc vultum refer, huc adesto:
Dum tua ingenti cumulata crescit
Gloria dono.
Cernis VRBANVM genibus minorem,
Supplicem cernis? Tibi sponte magnus
Procidit supplex, Latiamque subdit
Sponte Tiaram.
Quid Tibi maius potuit dicari?
Hanc colunt proni populi Coronam,
Seruat hæc omnes populos Corona,
Quæ Tibi seruit.
Sub tuâ regnet diuturna curâ;
Quique eam vouit, tui opus feratur
Consilî VRBANVS. Tibi debeamus
Illius annos.
Si rebelle agmen, tumidumque Regem
Perfida elatis animis mouentem
Bella, defenso pius expulisti
Victor ab axe;
Pelle quæ Regnum violare mitis
Principis feruent; fera monstra pelle,
Ne quis aut error, vel iniquus hostis
Sacra profanet.
Sole primæuis rutilante flammis
Ad tuas cultor sacer ibit aras:
Tu die terris redeunte, vota
Supplicis audi.

Cynthiâ

Cynthiâ noctis moderante bigas
Stabit in celsâ speculâ, irretorto
Lumine insomnis Tibi dedicata
Brachia tendet.
Nocte Tu totâ vigilem clientem
Sub sacro serua clypeo; simulque
Viribus iunctis Stygij tyranni
Vincite fraudes.
Audior, voti rata spes: ter hastam
Concutit magnus MICHAEL, *ter alis*
Plaudit, VRBANVM *valido expeditus*
Ense tueri.
Orbis immensi Pater atque Custos,
Numinis Prorex, cui cura summæ
Sedis, & morum; MICHAELE *felix*
Auspice regnes.
Tu Deum factis meritisque præsta:
Ille erit sancti socius laboris,
Ille seruabit sibi consecratæ
Fata Tiaræ.

DITIO ECCLESIÆ
AD METAVRVM AMPLIFICATA.



VT virtutibus speciosa fuit VRBANI inauguratio, sic multis statim emolumentis abundauit: neque Sedes dignum tantùm Pontificem in illo, sed etiam magnum amplificatorem habuit; Deo caus-

ſas ſubminiſtrante, quibus Eccleſiæ ditionem propagaret. Defunctus eſt ſine meliori prole Franciſcus Rouereus Dux Vrbini, Pontificum beneficiarius. Clientelarem igitur prouinciam, non armis, nec ſanguine, ſed prudentiâ & feſtinatione recuperauit VRBANVS, planè vt Vrbinates non mutaſſe Dominum, ſed ad antiquum rediiſſe videantur. Equidem cùm in ſæcularem ditionem à Iulio tranſſcripti olim fuiſſent, hoc exigebat vetus illorum & bona fortuna, vt rurſum cum PETRO coaleſcerent, ſacro eius Imperio futuri tutiores. Nec eſt quòd hæc incrementa ſectarij ſuperuacanea
Iſaiæ c.60. vocent. Deo placitum vt Eccleſia *Mamillâ Regum lactaretur:* ac licet in infantiâ non ſine graui Numinis induſtriâ virtutibus quàm auro inſtructior eſſet, varij tamen Reges, vt temporum ratio & vtilitas poſtulabat, munifici in illam fuere. Nam quid Conſtantino liberalius? tali opus fuit vt Eccleſiæ libertas cum ſplendore ſtatueretur. Quid Carolo religioſius? ita res popoſcit vt mutato Imperio firmarentur dona Conſtantini. Quid illa ditionis ſuæ datrix Mathildis, quæ Diuos heredes habere quàm homines maluit, PETRO quàm neceſſaria fuit, vt patrimonium haberet. Iam verò tot Reges qui ſua Regna Pontifici vectigal pendere voluerunt, quantam Principi Sedi contulere dignitatem? Additus Ducatus Spoletanus, Marchia Anconitana, Beneuentum, quid effecerunt, niſi vt clarior

rior aſſurgeret Eccleſia? Poſtremò Vrbini facta ab VRBANO acceſſio, quantum profuit, vt Pontificij Dominij amplitudo, à mari ſupero ad inferum continuo tractu funderetur? Sic decuit orbis Matrem creſcere.

SILVA V.

HÆc quamcumque vides, quàm magna opulentia PETRI,
Poſt obitus CHRISTI ſanguis & horror erat.
Pauperis exemplo Regis, florebat egeſtas;
Et quas calcarat, nullus amabat opes.
Vulnera pro gemmis, pro cultu vincla placebant;
Sanctaque magnarum mors erat inſtar opum.
Ibant Pontifices caput obiectare ſecuri:
Sæpè illis ceruix ſecta, Tiara fuit.
Sæpè feras inter, medióve in crimine ferri,
Sanguine pro trabeis irrubuere ſuo.
Curia quæ primi nunc Eminet ordinis oſtro,
Plagoſos habuit pectora ſancta ſenes.
Vaticana domus rerum nunc Principe digna,
PETRI ſub Regno collis & herba fuit.
Iſta triumphatis quæ dicit iura Quirinis,
Romulidum paſſa eſt verbera ſæpè Fides.
Aſpice quæ nunc ſunt delubra & templa priorum;
Diuerſi dices Numinis eſſe domos.
Quos votis colimus, queis celſas ponimus aras,
Ludibrium quondam totius orbis erant.

Nulli tuta Fides. Pietas innoxia nulli.
Plenus erat ſanctis carcer vbique reis.
Horrida Romano vox ſpargebatur in orbe:
Intereat, CHRISTVM *pro duce quiſquis amat.*
Impius in mediam populus rapiatur arenam:
Iratum placet perfida ſecta Iouem.
Hic erat hic Pietatis honos, ea dona ferebat
Quiſquis adoratâ ſub Cruce miles erat.
At benè mutauit crudelia ſæcula Numen:
Detumuit fluctu fracta procella ſuo.
Cædibus atque malis nacta eſt Eccleſia pacem,
Et decori noſtro per probra facta via.
Hæc tibi debemus ſolatia CONSTANTINE:
Prima tuo nobis munere parta quies.
Tu Latios CHRISTO *faſces, Tu ſceptra dicaſti,*
Heu nimium noſtris antè inimica ſacris.
Tu pius & diues poſuiſti immania templa,
Itala quæ tellus, quæq́ue Pelaſga tenet.
Ipſa etiam per Te ſubiecta eſt Roma Tiaræ,
Vt Fidei fieret, quæ caput orbis erat.
Venerunt & opes tecum, ſplendorq́ue, decusq́ue;
Nec Deus in templis pauper vt antè fuit.
Balſama pro vili pietas vrebat oliuo:
O quantum hæc diſpar flamma prioris erat!
Fagina in argentum mutata aurumq́ue ſupellex,
Proq́ue rudi data ſunt gemmea vaſa luto.
Tunc & Erythreis cœpere rigere lapillis
Pontificum trabeæ, Pontificumq́ue cruces.

Quàm

Quàm benè tum nostris maiestas addita templis,
Quàm benè surgebat per bona tanta Fides!
Mox alia ex aliis accessit copia donis,
Carole siue tuis, siue Mathildi tuis.
Sæpè pios inter certamina pulchra fuerunt,
Dona Dei gazis quis potiora daret.
Cuncta dabant, sine fraude dabant: maiora dedisse
Lucrum erat: augebant munera dantis opes.
Flauius vtiliter Romam dedit. Illa perennis
Et PETRI *& fato Relligionis erit.*
Cæsaribus certo data tantùm limite tellus:
Romanæ spatium est Sedis & Orbis idem.
Nec metas rerum huic posuit, nec tempora Numen;
Imperium mundi, sed sine fine dedit.
Cedite Victrici, Plutonia cedite monstra,
Nec vi nec vestro quassa furore ruet.
Quin adeò rabidas vexantum vt frangeret iras,
Illam opibus nudam noluit esse Deus.
Illa tot infestos Superis compescuit hostes,
Sub quorum gladijs procubuisset inops.
Illa tot emisit Solymæa in Regna carinas,
Laurigeras toties rettulit inde rates.
Illius Auspicijs cohibentur cornua Lunæ,
Nec strage Europæ plena coïre queunt.
His opibus domat errores, frangitque furorem,
Siue tuum Pelagi, siue Luthere tuum.
O quàm legitimis stat tanta potentia caussis!
Quàm sacer est vsus cui cumulantur opes!

Scilicet

Scilicet hunc ſpectans, ſceptrumque vrbesque Piſauri
Reddidit VRBANI *prouida cura* PETRO.
Quale eius Sceptrum, quæ ſurgere Regna videmus?
Quamque refert famulas iure Metaurus aquas?
Hinc mare quod ſuprà eſt, & quod perlabitur infrà,
Victrici VRBANVS, *per ſua, claue petet.*
Aſpice vt his opibus Sacrorum iura tuetur,
Vt Superos cultu ſplendidiore colit.
Aſpice quas ſedes, quæ ponat templa Tonanti:
Quàm validâ Romam muniat arce ſuam.
Viuite Pontifices ſecuri, viuite Romæ,
Præſidium veſtris arx erit illa malis.
Vos quoque Cælicolæ templis gaudete ſuperbis:
Vos dignâ VRBANVS *vult habitare domo.*
Quid fremis impietas? non hæc opulentia vana eſt.
Deſine. iam tot opes cauſſa Deusque probat.

LAVRVS BARBARINA
MVLTIPLICIS
DOCTRINÆ VRBANI
SYMBOLVM.



POESIM otioſæ mentis occupationem nemo dixerit. Vt in totâ litterariâ re operoſius nihil; ſic haud ſcio an tractari quidquam diuinius poſſit. Eam dico Poëſim, non quæ obſcœnos Suffenos, aut triobolares Mæuios olet; ſed quæ à Numine inſpirata,

rata, exculta ſtudio, perfecta ſapientiâ, ſcientiarum omnium cognitione diues, magni & puri pectoris opus eſt. Huius notæ Poëſis cùm VRBANO VIII. adhuc Cardinali mirum quantum arrideret, Laurum inter emblemata cooptauit, ſuperuolitantibus apibus & hac epigraphe celebrem, HIC DOMVS. Omnino qui Poëtica eius euoluerit, laurum Apollini eripere, VRBANO conſecrare non verebitur: eoque iuſtiùs, quòd in Apolline fabuloſa omnia; hic nobilem arborem meritis ſuam fecit. Tantus ſiquidem eſt Maphæani carminis nitor, ille verborum delectus, tanta ſenſuum magnitudo, vt ſi VRBANVS non eſſet, Apollo Chriſtianus poſſet appellari. Verùm non ſunt ad pompam conquirenda vocabula. In omnium manibus verſantur, quæ diuino ſtylo cultiſſimè ſcripſit: ſi legeris, dicas nihil hîc veris affictum dotibus, cùm antè deprehenderis nitidiſſimam Poëſim pro dignitate non poſſe celebrari. At verò quantam illius eruditionem eſſe oportet, cuius hæc tam præſtans cognitio pars eſt minima? Floret etiam Philoſophiæ laude: princeps eſt in Iure: Sacras linguas apprimè callet: Theologiam peruaſit: Græcos Latinoſque Patres euoluit, comprehendit: ac ne quid ad eius abſolutionem deſit, vtrumque Chriſtianæ Philoſophiæ Inſtrumentum tam altè peruidit, vt quamquam Chriſti os non eſſet ob dignitatem, poſſet tamen tot nominibus Veritatis oraculum dici.

SILVA VI.

Virgineæ laurus, ſeu ſacram intenditis vmbram
Montibus Aonijs, ſeu pulchro Heliconis ad vndas
Ordine digeſtæ, felicia ſerta paratis
Vatibus, acclini ramos demittite trunco,
Et ſpretis Pindi ſcopulis & nomine Daphnes,
BARBARINA *pio cognomina ducite faſtu.*
Quid iuuat in ſterili cliuo frondeſcere? dudum
Mutæ Pierides, & vanum nomen Apollo.
Ecce Quirinali mundum qui frænat ab aulâ,
Innocuis dignatus apes committere ramis,
Veſtram immortali famam ſacrauit honore:
Audiat hic poſthac vatum Pater, audiat Orbis
Aonidumque decus, Parnaſſique ardua templa
Hoſpitis antiqui ſpernant hoc Præſide numen.
Vóſne igitur mellis genitrices culmine in alto
Arbos ſancta tenet? Vobis hîc frondea tecta
Cepiſtis, viridemque domum, certoſque penates.
O quoties illic caſtâ dulcedine lætæ,
Et Latio & Superis mouiſtis amabile carmen!
MAPHAEVS *quoties maturæ in flore iuuentæ*
Dulces hîc cantus illo dedit ore, ſuperbas
Quo gentes recturus erat! Quàm ſæpè canenti
Arriſit blandùm non torua ex æthere Virtus,
Mellificamque videns turbam, Nunc ite ſerenæ,
Ite, inquit, laurumque ſuperuolitate volucres:
Sic MAPHAEI *omnes tranſcendet gloria lauros.*

Quid

Quid memorem fidibus corda expugnata canoris,
Atque triumphatas verbis victricibus aures?
Cælitum olor, Lauri princeps, decus omne Latini
Nominis, Aonij moderator candide regni,
Quàm meritò posthac capient tua nomina Laurus.
Te nascente sacrum viruit nemus: ipsáque visa est
Implexis circùm lauris vernare Tiara:
Mox pueri cunas ederæ cinxêre virentes,
Et ferrugineæ violæ, calycesque rosarum:
Quas inter iurata tuis plebs mellea fatis
Ibat, & ingenti patris per tecta canore
Et regnum Pindi tibi portendebat & Orbis.
Hinc vbi cœpisti primas distinguere voces,
Formabant Charites vocem, curâque fideli
Signabant leges, ritusque decusque loquendi.
Iam tum maiestas verbis, iam pondera dictis,
Illecebræ suberant voci, queis flectere Reges
Et populi poteras animos lenire furentis.
Cùm placuit Romana chelys, libuitque per artem
Immortale loqui, Geticum stupor Orphea fixit:
Contraxit victas Cycnus Dircæius alas:
Mœoniæ dubio siluerunt carmine Musæ:
Hæsisti positâ vates Venusine coronâ,
Et palmam è manibus timuit sibi Mantua tolli.
Si diuina libet sublimi reddere plectro,
Digna Deo Superisque moues: sin crimina pungis
Vindicibus stimulis, pœnæ tua verba sequuntur;
Et vitium & noxas æterno vulnere figis.

Contrà vbi Virtutis visum est attollere nomen,
Sideribus Virtutem æquas; formamque pudicâ
Maiestate grauem sic illecebrosus adumbras,
Vt quisquis pronas dictis aduerterit aures,
Virtutis flammâ properè ardeat, oderit omne
Crimen, resque suas sibi mandet habere Dionem.
Hîc ego dum gemitus animæ delicta dolentis,
Dum lacrymas attendo, iuuat delicta vicissim
Lugere, atque meos alienis iungere fletus.
Per Te dum fumum & mundi fallacis inane,
Dumque vices rerum nosco, variæque seueros
Fortunæ lusus, iustis libet omnia sannis
Excipere, & crepero digitorum explodere flictu.
O Laurum in nostri sæcli ornamenta virentem!
Dignam apibus Musisque domum, frondentibus ex quo
Hospitijs, Latij tenuisti examina Patris!
Hîc solantem illum blandâ testudine curas,
Et quos aut ortus parit occasúsve labores,
Cælicolæ ingenij Regem rerumque salutant.
Quis salibus magis argutis epigrammata clausit?
Quis tristes elegos fudit plorante camœnâ
Lætiùs? Heroi cui plus natiua cothurni
Maiestas? citharæve lepos? cui pleniùs vmquam
Romanum respondit ebur? Tu Iura, Themimque,
Quàm magna est, cepisti animo. Tu mente sagaci
Diuinorum altè penetrasti arcana librorum,
Quæ sacris fidibus, quæ lusit pectine Dauid;
Quæcumque antiqui Vates monuere, nouique.

Jam

Jam tua quàm variis exercita lingua loquelis!
Hebræis Hebræa refers, & Græca Pelaſgis.
Atque adeò ſi quid vacui tibi temporis aula
Aut enaſcentes curæ ſuper orbe relinquunt,
Sollicitis manibus Patrum exemplaria verſas,
Cecropiosque fauos nectarque excerpis Achæum,
Lenimen cultumque animi. Cui tanta bonorum
Congeries conceſſa? alijs bona ſingula dantur:
Plena tibi veniunt; & quæ partitur in omnes,
Rex in te Superûm accumulat. Sic lumen in aſtris
Diuiſum radiat, aſtrorum è principe Phœbo
Communi ceu fonte ſalit. Sic flumina, Ponti
Particulæ, anguſtis labuntur condita ripis;
Pontus aquas omnes immenſo amplectitur alueo.
Surgite felices VRBANI, *ſurgite Laurus:*
Jam vos Roma colit. vobis iam plectra Poëtæ
Appendunt, veſtræque Helicon ſe ſubijcit vmbræ.
Nos humiles nixique genu, ſpes inde Camœnis
Ducimus. Atque vtinam ſacris de frondibus vnam,
Si merui, ſi digna peto, Te dante, laboris
Aut decus aut pretium fas carpere! carmen in æuum
Iret, & extremi riderem incendia buſti:
Riderem inuidiæ dentes morſumque furentis.
Da veniam, præcox votum eſt. Temeraria mentem
Fama rapit, meritisque venit fiducia maior.

SOL SYMBOLICVS VRBANI VIII.

EIVSQVE LEMMA, ALIVS ET IDEM.

QVIBVS VRBANI PONTIFICATVS EXEMPLAR PROPONITVR.

QVOD huic rerum vniuersitati Sol, hoc VRBANVS est Ecclesiæ. Vterq; alium se ac eumdem, ille mundo, hic hominibus præstat. Sic aptè VRBANVS cum Sole, Sol cum VRBANO conuenit. Libétne similitudines expendamus? Soli regium munus assignatum, terras, animantes, astra moderandi: VRBANO subiecta sunt omnia, nec minùs placidè ab eo gubernantur. Solem ceu pulcherrimum sui simulacrum Deus accendit: etiam hoc supra VRBANVM Vicarium suum fecit. Solis est tenebras expellere, quoque aspectabilior sit nubes detergere: hic ne Fides obscuretur, omnia errorum vitiique nubila repellit. Illius cursu ducuntur dies, anni, sæcula: ad huius nutum voluitur vtriusque fati rota. Soli flores suos ver, æstas fruges, vuas autumnus debet; & cùm longius à nobis discedit, hiemis

hiemis vim patimur, & niuium importunitatem: maior eſt efficientia clauium VRBANI: illis diuinas opes iuſtis impertit, ſcelera fulminat; planè vt ad eius arbitrium, harum conuerſionem, Beatitudo vel ærumnæ, Vita ſequatur vel interitus. A Sole ortus ſunt, viciſſitudines & occaſus rerum; illi vitam ſuam homo, tellus metalla deputat: VRBANO autem Fidei lucem adſcribit Congus, Æthiopes, Afri; Iaponia ſuum in vexationibus ſolatium. Breuiùs dixerim, qui ex impietatis caſtris ad Crucis ſigna feſtinant, VRBANI partus ſunt, certè filij, cùm ille communis ſit omnium Parens. Hæc effectuum in Sole, in VRBANO conueniens varietas, ritè arguit vtrumque, ALIVM ESSE ET EVMDEM: illum in naturæ, hunc in Eccleſiæ conſeruationem.

SILVA VII.

Sol nouo ſemper veterique mundum
Igne colluſtrans, radiate puri
Luminis princeps, aliuſque & idem
Arbiter æui,
Dic & Auroræ populiſque noctis,
Sidus ac numen Latij Parentis
Inclytâ terris aliudque idemque
Luce nitere.
Lemmatis pulchri celer Auctor affers
Lucidum exemplum, roſeoſque currus

Promis,

Promis, & celas, superis polorum
Gratus & imis.
Nasceris dispar similisque semper:
Semper occumbis rediturus : atque
Semper hesternas renouas recenti
Lumine flammas.
Siderum princeps moderaris astra.
Mens soli & cæli moderaris orbem.
Omnium custos placidâ tueris
Omnia luce.
Tu comam grato redimitus igne,
Efficax, magnus, speciosus, ipsum,
Vnde duxisti radios decoris,
Numen adumbras.
Dum tuos condunt tenebræ iugales,
Aut in obscurâ nebulâ teneris,
Atra detergis nitido coruscus
Nubila crine.
Temporum euoluis glomerasque nexum
Cursor æternus, volucrique gyro
Sæcula & menses, rapidumque labi
Digeris æuum.
Prô dolor ! sed tu simul occidisti,
Clarior multo rutilas, redisque
Acer ex lasso, refugæque lucis
Flamma perennis.
Nos vbi leti tenebræ occuparunt,
Nocte longinquâ premimur caducæ

Lucis

Lucis exſortes, rigidæque inani
Corpore laruæ.
Tu ſoles anni variare curſum
Vernus, æſtiuus, tepidiq́ue flammâ
Mitis autumni, glacialis idem
Tempore brumæ.
Hinc iacet tellus, animóſve tollit.
Vere fecundum gremium renatis
Floribus pingit, viduosq́ue campos
Gramine veſtit.
Mox ab æſtiuis tepefacta flammis
Reddit anni ſpes. vbi ponit æſtas,
Poma diſtinguit, placitasq́ue carpi
Inficit vuas.
Cùm diem curſu breuiore ſtringis,
Et rotâ obliquus raperis ſiniſtrâ,
Tota inhorreſcit niuium imbriumq́ue
Hiſpida ſedes.
Tu vices, ortus, obitusq́ue rerum
Flammeis loris trahis illigatos:
Tu parum claris radiata præbes
Lumina ſtellis.
Ipſe terrarum pecudumq́ue princeps,
Quodq́ue mortali dominatur aurum,
Maximum infusûs ſpecimen tuique eſt
Summa laboris.
Talis VRBANVS *triplicem per Orbem*
Aureæ ſpargit radios diei,

Semper antiquâ, redeunte ſemper
Luce ſerenus.
Ille ab excelſo Solio tenendas
Ætheri leges, barathroque figit;
Et Tybrim, & Reges, populoſque ſanctis
Flectit habenis.
Ille terrarum Deus, æuiterni
Numinis partes obit: ille CHRISTI
Vnicus Prorex, & imago, Romam
Numine complet.
Candidus morum fideique Cenſor,
Noxias ſtirpes ſcelerum reuellit:
Mentium claro fugat imperitam
Lumine noctem.
Gratiæ præſes, dominuſque leti,
Integros Cælo beat, atque Lethe
Damnat inceſtos, hominumque fatum
Finit vtrumque.
Quidquid in terris grauiore nexu
Vincit, id nodo ſimili coërcet
Numen; & quidquid cupit exſolutum,
Soluit in aſtris.
Nunc opes cæli manibus benignis
Diuidit iuſto; modò perduellem
Fulminis diro ferit igne ſacri,
Mitis & aſper.
Iam polos claui reſerat, beatæ
Arbiter vitæ; modò luctuoſum

Limen

Limen occludit Stygis, ac vtrique
Præsidet Orbi.
Torridos CHRISTO *Libyæ colonos*
Subdit, & Congum. Japonum dolores
Litteris lenit, Latiâque Sinas
Luce serenat.
Alterum iures Superos colentem,
Alterum iures Styga punientem:
Seu Stygem punit, Superósve adorat,
Vnus & idem est.
Alme Sol, rerum vigor atque nexus,
Cùm polum sero cumulabis astro,
Te tuus supplex ALIVM ATQVE EVMDEM
Sentiat Orbis.

APES GENTILITIÆ VRBANI VIII. SACRI EIVS IMPERII ET FACVNDIÆ INDICES.



QVACVMQVE tamdem ex plagâ in gentilitium BARBARINORVM scutum Apes immigrarint, nec inauspicatò, nec sine Diuûm numine aduolarunt. Regni certè tanto illustrioris omen VRBANO attulerunt, quàm aut Hieroni olim aut Vuambæ: quo præstat primum à Deo esse, orbi toti; quàm Siciliæ

tantùm, vel Hiſpaniæ iura dicere. Deinde ſi cladem hoſtibus portendunt, manifeſto Numinis nutu in Solio PETRI fulſerunt; vt magnas Othomanno, magnas perduellibus hæreticis clades denuntiarent. Vidimus VRBANO Chriſtianas gentes temperante, Bredam à Batauis receptam, exciſam Rupellam, fractos Danos, cæſum Regem Suecorum Guſtauum, fuſos à Polono non ſemel Turcas, Scythas domitos, Piratas item profligatos in Tyrrheno; vt iam ſtrages illas æſtimanti, VRBANI Pontificatus ſectariorum Turcarumque fatum dici iure poſſit. Sic quidem Apes bellicoſæ: ſed ne pacis laude vacent, trabeæ facundiæq; laus ſubſequatur. Fama tenet, Platoni olim & Ambroſio Apes ad eloquentiam nobili augurio prçluſiſſe: an non præluſerunt VRBANO, cuius inſignia obſedêre, cuius tot mellei riui in populos manant? Sunt illi quidem ad facundiæ gloriam ſatis; ſed glorioſius, ex ipsâ cortinâ Veritatis Dei more loqui, os Dei eſſe, quàm ob eloquentiam melle dulciorem commendari.

SILVA VIII.

Inſigne BARBARINORVM Apes tres, aureæ, in cærulei coloris areâ radiantes.

COnſpicuæ gentis trias aurea, teſſera magni
Pontificis, teneræ mellis paciſque parentes,
Mellea Romuleæ quæ ſæcula conditis Vrbi,
Ite, triumphanti terras luſtrate volatu,
Atque ortus obituſque ſacro perfundite rore:
Terrarum ærumnæ veſtrâ dulcedine poſcunt
Leniri.

Leniri. date mella, hominumq́ue auertite cladem
Paciferæ volucres: vobis iam turbidus orbis
Et vestro totum vult se debere labori.
Fœderis auctores vos ille, & bella prementes
Accipiat, Latiæque sequatur iussa Tiaræ.
Nec verò in Signis aquilæ Latialibus vnquam
Tantum obiere soli, cùm fata aciesq́ue secutæ
Cæsareas, terris dictarent iura subactis:
Sed neque cùm regnum victo firmauit in ortu
Belus, tot populis Syriæ fulsere columbæ.
Vt longè imperium Romanus fuderit; vtq́ue
Aßyrij latè regnauerit arbiter orbis;
Plus aliis, quàm quod frænabat vterque, reliquit.
Quà CHRISTVS, *quà cana Fides,* PETRVS*q́ue triumphat,*
Trans & Cæsaribus, trans cognita littora Belo,
VRBANI *sacrâ ditione insignia regnant,*
Et Romanus api supponit cuncta Tiaras.
Mellificæ volucres, vos, cùm decliuior abdit
Phœbus equos, cæleste acri dare nectar Ibero
Aspicit: Eoo cùm tollit ab æquore currus,
VRBANI *per regna venit; quáque ire laborat,*
Vestro miratur recreari nectare gentes.
Scilicet imperium certis prædicere signis
Ne frustrà memorentur apes, Regalis vbique est
VRBANI *trias, argumentáque regia præstat.*
Præsidet vna polis, terræ altera, tertia Diti;
Jamq́ue apium triplex ad nutum vertitur Orbis.

Quin &, si stragem castris, si gentibus hostem
Bellica portendit fatali examine turba,
Jam video Lappique nefas, Boreæque procellam
Ponere, seu Româ felix VRBANVS ab altâ
Præbeat auspicium, Latio seu fulciat auro
Rheni fortunam. cuicumque minabitur hosti,
Occidet. At si cui præsens mandauerit omen,
Hunc viridi lauru cinget Victoria. Cernis,
Austria vt euerso tollant se sceptra Suëco,
Omnibus vt castris Finnus cadit, omnibus armis.
Consilia æternæ mortalia cedite legi:
VRBANO (atque vtinam longùm !) regnante vigebit
Relligio, Pietasque, & Gens tot Regibus aucta,
Tot clara Augustis. Vna omnia crimina contra
In fatum victrix, & spes assurget auorum.
Quid frustrà fremis impietas? cur sontibus ausis,
Nec profecturis conatibus omnia misces?
Ipse licet gelidâ veniat Gustauus ab Arcto,
Liuoniamque, animosque Aquilonis, & horrida secum
Bella trahat victor; Regesque vrbesque mouebit,
Par patrio Boreæ, trifidòve simillimus igni:
Mox rerum cursu in medio vanescet inanis
Impetus, & versis infesto Numine fatis
Impositus pheretro mœstam referetur ad Arcton,
Sanguine adhuc manans, conclamatumque cadauer.
Sic adeò & Lappo, Gustaue, & lugubris orbi
Historia es: terrisque exemplum insigne relinquis,

Iniustum

Iniustum nil ſtare diu, temeraria vota
Deſtitui, ſontes extemplò areſcere laurus.
Fama eſt Hyblæo ſaturatas melle cateruas
Regibus eloquij præludere. Quippe Platonis
Cognita ſic Græcis facundia: cùm ſacer illum
Eliſſi ad ripas teneris circumſtetit alis,
Et mella infudit puerili exercitus ori,
Linguæ primitias & ſacræ ſemina vocis,
Cui Siculi quondam vellent parere tyranni,
Vnde animi vires Academia duceret, vnde
Æneadum virtus Ciceronis flecteret aures.
Sic etiam Pylio decurrens flumen ab ore
Dulciùs & lactis & mellis fonte fluebat.
Cedite Cecropiæ miracula cedite linguæ,
Neſtoreique faui; facundia dulcior orbi.
VRBANI *per verba fluit, nec digniùs vmquam*
Relligio meminit ſe PETRI *in Sede locutam.*
Ergo alacres dioſque fauos nectarque beatum
Fundite apes: hinc Relligio Pietaſque niteſcet,
Hinc animos tollent populi, & ſincera voluptas
Sidereâ ducet captum dulcedine mundum.
Tuque adeò, tanti cui diues copia roris,
Neu melli parce aut voci. Tibi barbara Thrace
Byzantina humiles lunas permittet, in aulâ
Arſacidæ ſolem: Tibi fului inſigne draconis
Eoo rector Sinarum ſubdet in ortu;
Pacatumque reges mellitis vocibus orbem.

GESTO-

GESTORVM VRBANI VIII. PONT. MAX.

LIBER SECVNDVS.

VATICANI TEMPLI ORNAMENTA.

NEC ignaua, nec otioſa vmquam fuit vera Virtus. Niſi actuoſa ſit, Virtus non eſt, inertiam ſapit. Quare vt Solem ſua lux oſtendit; ſic Virtus factis inclareſcit: illum ceſſare, iſtam otio marcere, nefas. Virtutibus igitur VRBANI expenſis, videamus quàm ab agendo non vacent: vt Vaticanum, Vrbem, Religionem, & Orbem complexæ, curas ſuas, opes, & induſtriam vbique diſpenſent.

VATI-

VATICANÆ BASILICÆ CONSECRATIO.

HOC maximè ad principis templi decus desiderabatur, vt solemni ritu sacrum fieret. ne quid igitur eius gloriæ deesset, consecrauit VRBANVS. Quamquam quid consecrasse dico, qui iis illud ornamentis auxit, quibus priorum magnificentiam vincit. Et si ritè auguror, nihil à posteris tantum potest exspectare. Equidem vt non erat ex ædis dignitate, consecrationem in dies differri; sic honorificum illi fuit, nouum cum sanctitate splendorem accepisse. PETRVS ipse templum suum cupidiùs incolet, quod & augustius & pulchrius habet. Verùm quid meis hîc verbis opus? ipsa Vaticani marmora in tam celebri inauguratione non siluerunt. præstet illorum inscriptionem subiici, quàm te meis legendis occupatum diutiùs habere. Consiste tantisper, dabo quod expendas, imò quod admireris, ne pretium moræ non feras.

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
VATICANAM BASILICAM
A CONSTANTINO MAGNO EXSTRVCTAM,
A B. SILVESTRO DEDICATAM,
IN AMPLISSIMI TEMPLI FORMAM
RELIGIOSA MVLTORVM PONTIFICVM
MVNIFICENTIA REDACTAM
SOLEMNI RITV CONSECRAVIT:
SEPVLCHRVM APOSTOLORVM
ÆNEA MOLE DECORAVIT:
ODEVM, ARAS, ET SACELLA
STATVIS AC MVLTIPLICIBVS
OPERIBVS ORNAVIT.

SILVA I.

PETRI *Romuleus Parens*
Cùm templum placidis relligionibus
Sacraret, patiens Dei
Venturique videns temporis exitum,
Linguis esse silentia
Jussit. Fata sacræ tum cecinit Domus.
VRBIS *grande meæ decus*
Delubrum, æthereis sedibus æmula

Et

Et ſedes propè par polis,
Dignum Cælitibus, Numine dignum opus:
Quo nil pulchrius aſpicit,
Seu Phœbus rapiat, ſeu referat diem:
Æternam tibi gloriam
Olim contulerat, qui Latios Deo
Faſces ſubdidit inclytus
Sanguis magnæ Helenæ. Nec leuius tibi
Silueſter decus addidit,
Victis tartarei dum Iouis artibus,
Et pulsâ lue Cæſaris,
Patri te voluit Clauigero ſacram.
In maius quoque te tulit
Solers Pontificum magnificentia,
Quæ latè opperuit ſolum
Cruſtis marmoreis: quæ tua lucido
Obduxit laquearia
Auro: quæ tabulas impoſuit nouis
Aris. Nec tibi futilem
Splendoris ſpeciem quæſiit, arduæ
Turris culmina qui tulit
Mirandus vacuum Sixtus in aëra.
Paulum nos quoque vidimus
Iungentem egregiâ limina porticu,
Et PETRI *penetralia*
Gemmis innumeris ſpargere prodigum.
His tu diuitiis nitens
Dicêre vſque Domus publica gentium.

Non deero tibi, nec meæ
Te partem haud tenuem munificentiæ
Linquam. Nobilior nouis
Surges muneribus. Nec fuga temporum
Nec te diruet impotens
Gradiui rabies, nec Scythicus furor.
Stabis dum placidus Tybris
Vrbem cæruleo flumine diuidet,
Dum Crux iura ſolo dabit,
Dum noſtris ſuberunt omnia Clauibus.
Euentura loquor, ſui
Numen ritè mouet verba Vicarij.
Audiuit Genius loci,
Et cinctum radiis ter quatiens caput,
Ter plaudens manibus, ſacra
Incidit Pario carmina marmori.
Cedant priſca, recentia.
Sedi maior ineſt & nitor & decus,
Ex quo facta Deo ſacra,
VRBANI*que ſui diuitijs nitet.*

NAVIS

NAVIS DIVI PETRI REPARATA ET TEMPLO DONATA.

ITERVM munificus in PETRVM VRBANVS exprimatur, celebretur denuò qui gloriam Vaticani quotannis in maius auget. Stabat ſub dio PETRI nauis duplici diſcrimine laborans. Vnum erat à manu fictoris, ideò fictum, & præter agitatæ nauis muſiuam imaginem nihil. Alterum exiſtebat ab imbribus & ventis, quorum vim ſub aperto cælo nauicula perferebat. Primum, hoc eſt tyrannorum & hæreticorum furorem, CHRISTVS contudit, contundetque, quoties ferrum & flammas intentabunt. Aliud auertit VRBANVS, dum nauim pluuiis & turbinibus ereptam, inſtauratamque, in Vaticano, ceu in portu collocauit: illuſtri vel ſymbolo, vel argumento, Eccleſiæ nauim, iactari quidem ſæpè, lacerari nonnihil, inimicum imbrem accipere, aliquâ ſui parte mergi, at ſemper emergere victricem.

SILVA II.

NAuis quæ pluuio Ioui relicta
Et picti pateris maris procellas,
Romanæque ſubis pericla brumæ,
VRBANO *duce pone læta curas,*

VRBANO *duce nil tibi timendum.*
Nam tu nec pelago, nec Euro, & imbri
Debes ludibrium. Licet furentis
Hinc atque hinc hiemis minetur æstus,
Vndantique agiteris in tabellâ,
Nullâ terribilis tabella clade.
Quid discrimina vana pertimescis?
Pictus hic furor, & procella picta.
Pictos sperne metus. Sed heu graues, heu,
Solesque, pluuiæque, turbinesque
Veris te nimiùm malis fatigant,
Textum soluere sectilem obstinati.
Esto, dilacerentque, deterantque
Nunc carchesia summa, deinde vela;
Jam puppem, modò transtra, deinde proram:
Quidquid abstulerint tibi decoris,
VRBANI *pietate sarcietur.*
Nunc VRBANI *ope restituta, dura;*
Nunc ride pluuij minas olympi,
Graues ride hiemes, edaxque tempus.
Nihil tempus edax, nihil vetustas
(Sæclis inuideant licet futuris
Præsens quidquid amat colitque sæclum)
In te iuris habent : tuo labori
Certus portus adest : tuo labori
Vaticana parat domus coronam.
Hîc sedes erit, hîc quies perennis
VRBANI *auspicijs, locique fato.*

At

At tu quiſquis adis perenne templum,
Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum;
Dum ſanctum penetrale, dum ſepulchrum
PETRI *videris, arduamque turrim;*
Cùm tetraſtylon inclytâ arte ſtructum,
Et cellas poſitas & hinc & illinc,
Atque aras poſitas & hinc & illinc,
Et ſigna & ſimulacra, nobiliq́ue
Dignas Protogenis manu tabellas,
Mauſolea nouo ſuperba ritu,
Dum multo radians lacunar auro,
Sectis marmoribus graues columnas,
Sectis marmoribus ſolum relucens;
Cùm miracula ſparſa toto in Orbe,
Quidquid ars habet elegantiarum,
Et quidquid pietas habet colendum,
Vno videris eminere templo;
Cùm PETRI *pedibus ter aduolutus,*
Ter reſumpſeris oſculationes,
Fixam ſuſpice limini carinam,
PETRO *Principe nobilem carinam,*
Quam pictus Boreasq́ue Cæſiasq́ue
Ponti inuoluere fluctibus laborant.
Siſte, ac ſymbolicæ quid æſtus vndæ,
Quid appicta velit procella, diſce:
Haud paruum pretium moræ reportes.
Vides hunc tumidi maris furorem?
Quot fluctus dubiam premant carinam?

Non

Non ponti, aut Aquilonis hic tumultus:
Sic vinclis, crucibusque, ſpiculisque,
Rotis, ignibus efferi tyranni
CHRISTI *tollere milites amabant.*
O quantos Nero concitauit æſtus,
Quantos Flauius, vt perire poſſent!
Sed vanus Nero, Flauiusque vanus,
Nil tanti vt penitus perire poſſint.
Hîc Traianus habet ſuas procellas,
Hîc duri furit enſis Adriani.
Fruſtrà. fortior it ratis per vndas:
Tempeſtate moras viæ refringit,
Tempeſtate ſubit probata portum.
Hîc tui gladij, tuæ cataſtæ,
Et re ac nomine præferox Seuere:
Veſter hîc furor eſt, ſcelusque veſtrum,
Deci, Maximiane, Maximine,
Humanâ in ſpecie truces leones.
Quæ non bella pijs decem per annos
Mouiſti Diocletiane? Cuius
Ætati, meritis ferus pepercit?
Iam merſam pelago ratem vocabat,
Cùm ductu Superùm, PETRI*que fato*
Vicit naufragium, ſuæque cladi
Superſtes numeroſior reuixit;
Viuetque acriùs illa comminuta,
Illa lugubris, illa merſa. Viuet
Victrix carnificum necisque. Viuet

Palmis

Palmis inclyta laureisque. Viuet
Maior cladibus, & premet tyrannos.
Hinc pro se mare commouere feruent
Errorum & scelerum tumultuosæ
Armis dissidiisque factiones.
Non his fluctibus obruetur, ibit
Errorum scelerumque cymba victrix:
Arrijque Sabellijque cedent,
Cedet vipera Saxonum Lutherus,
Vulpes Gallica cedet Alcuinus,
Et quæcumque super lacum Lemanni
Spurca, transfuga, fœculenta rana
Impuro Superos lacessit ore.
Tu quoque ô pelagi Batave terror,
Regumque Superûmque perduellis,
Ause in Iaponiâ nouos Nerones
Et CHRISTO *noua suscitare bella,*
Hæc denuntio turbulente, cedes;
Et pœnas geminæ rebellionis
Philippo dabis, & dabis Tonanti.
Quin & sub senium cadentis Orbis,
Cùm fraudes rabiemque spiritusque
Incesti superarit Antichristi,
Tunc & naufragijs periculisque
Defuncta æthereas tenebit oras,
VRBANI *velut hæc carina iussu*
Tenet limina summa Vaticani.
Nosti prælia Nauis, & Parentis;

Matri plaude modò, ſacræque naui,
Plaude VRBANO, *& abi, vt voles, viator.*

MICHAEL MVSIVVS VATICANÆ BASILICÆ.



IARAM ſuprà MICHAELI dedicauit VRBANVS: iam præclarum illi trophæum molitur; eius victorias gemmis exprimit, quò palàm fiat, qualem hoſtem, & quàm ſtrenuè debellarit. Fulgebat Lucifer ceu Muſiuum prouidentiæ opus. *Omnis lapis pretioſus operimentum eius.* Nimirum vt inſtar omnium eſſet, omnium illi Angelorum dotes Deus contulerat. Sed quid? elata in arrogantiam infida pulchritudo, cauſſas obſequij, rebellionis materiam fecit: inſurrexit in Auctorem formoſus perduellis; ac vt in Principe valet exemplum, cunctos Angelos in partes traxiſſet, niſi ſeditionem concitanti oppoſuiſſet ſe MICHAEL, tam certus Deum vlciſci, quàm ſe illi ſubiicere. Confectum eſt in cælo atrox prælium: pro Deo, & contra Deum dimicatum. At pro Deo pugnaſſe, victoria fuit. Fuſi & profligati rebelles. Corruit impiæ ſeditionis inflammator; eius opima ceſſere MICHAELI: quorum vt ſpecimen aliquod in terris exſtaret, Victoris imaginem gemmis contexuit VRBANVS. Iuſtiſſimè quidem, vt habeant ſubmiſſæ Deo mentes,

Ezech. c.28.v.13. Gregorius 21. Moral.

tes,

tes, quid gratulentur MICHAELI; superbi, quid post Luciferum reformident.

SILVA III.

Victorem in tabulâ MICHAELEM *quisquis adoras,*
Fulminei lauros bellaque disce Ducis:
Tempore quo primùm fulsit polus, ipsaque terra
In mediis pelagi tota latebat aquis;
Cùm necdum Titan, necdum vaga Luna niteret,
Nec ferrent sulcum rura, nec vnda rates;
Æthereâ iuuenum manus exultabat in aulâ,
Non concreta luto, non moritura manus.
Dux ipse ante alios formâ pulcherrimus omnes
Natiuæ formæ suspiciebat opes:
Mille lapilli illum decorabant; mille lapillis
Et pretium maius, lux quoque maior erat.
Hoc viso, summam rerum cælique videres:
Stiparat solus, quidquid vbique fuit.
Nemo adeò fidâ reddebat imagine Numen,
Ora diu si quæ fida superbus habet.
Tu scelerum caussas illi stimulosque dedisti,
Heu stulta in propriis forma nitere bonis.
Victus amore sui, regnique cupidine victus,
Fortunam vitiis prodidit ipse suam.
Dum se miratur, se perdidit: odit, amando:
Corruit infelix, dum nimis alta petit.
Ibimus, & solium, dixit, tollemus ad Arcton:
Iamque Helice suberit, iam Cynosura mihi.

Si meritis vinco, si præstat gratia formæ,
Me summo Regi me decet esse parem.
Quò mihi triste iugum, quò Numen vincula nectit?
Non sunt naturæ debita vincla meæ.
Illa luto, illa paret cui vult nos subdere. numquam
Mancipium vilis pulueris esse ferar.
Legisset nostris aliquem de millibus vnum.
Cur mihi, cur vobis anteferatur homo?
Jamque illum video sublimi in sede locatum,
Dispensantem omni iussa superba polo:
Fingere nunc mendax concreto ex aëre corpus.
Nunc subiget varias ire, redire vias.
Voluite vos, dicet, stellantem voluite mundum:
Voluendus nobis stellifer orbis erit.
Hi tutando homini medium descendite in orbem.
Tu terram serua. Sit tibi cura maris.
Vobis sint fruges, vobis animalia curæ.
O præclara sacri munia seruitij!
Nósne igitur longè à Superis atque arce polorum,
Indignum meritis suscipiemus opus?
Luciferum ante hominem curuatum hæc aula videbit?
Et turpe & durum est talia iussa sequi.
Quid nos ætheræ lucis perduxit in oras,
Tam fera si nobis iussa daturus erat?
Quòd si fortè aliquos opera ad maiora reseruet,
Demisso ante pedes stare volet capite.
Hîc timida implexis alis velabimus ora,
Intenti ad nutus obsequiumque luti.

Siccine

Siccine despicimur? sic digna, indigna professi
Subdemus longo colla premenda iugo?
Non ita: namque etsi scelus est pugnare Tonanti,
Excussisse iugum nobile crimen erit.
Sensit gliscentis MICHAEL *incendia flammæ,*
Verbáque concepit vindice digna Poli.
Perfide (de nostro quoniam hoc tibi principe nomen
Restat, & hæc ausus vnica fama tui)
Perfide vesano moliris prælia fastu,
Nec profecturo crimine summa petis.
Perfidiæ damnosa via est: nisúque profano
Affectas vni sceptra gerenda Deo.
Hásne igitur dotes, hæc ornamenta tulisti,
Fortiùs in Regem quò meditere nefas?
Forma tibi iniusti fit pessima caussa furoris.
Quale bonum, quantis inficis ipse malis?
Pulcher es? at formam distinxit dextra Tonantis.
Cur non Auctori subditur illa suo?
Si meritis omnes superas, ideóne Parenti
Æquandus surgis, qui modò nullus eras?
Quid quereris sceptrum tibi, quid diadema deesse?
Quid consortem hominem Numinis esse doles?
Sic visum Domino: Domini tun' iussa refigas?
Illius arbitrio sors tibi habenda fuit.
Cur frustrà inuidiæ stimulis, cur rumperis irâ?
Nil iuuat auctores illa vel illa suos.
Dum meliora fugis, subiisti vincula noxæ;
Vincula sed nullâ dissoluenda die.

Nil tibi cum Superis. CHRISTO parere recuſas.
Cur non & Lethes debita regna petis?
Hîc inter flammas tibi ferrea ſceptra parantur.
Hæc poterunt ſontes ſceptra decere manus.
I miſer, i, picei iacta te Acherontis in aulâ.
Perfidiæ & ſceleri Tartara tota vacant.
Hîc tu magnificos tumidè exercère per vſus:
Iudicio ſordent munia noſtra tuo.
Sed non has partes, non hæc tu munia adibis,
Æthereo ſeruus diſſimulandus Hero.
Nec vos veſani ſuperos torquebitis orbes,
Multo vt ſit veſter lenior iſte labor.
Vos Erebi flammas, Erebi tractabitis vncos,
Damnata infernis turba miniſteriis.
Et quoniam fortunam armis tentare paratis,
Diſcite nil ſummo fortius eſſe Deo.
Non tutò in Dominum conſurgitur, ipſe repentè
Subruit, & ridet vota ſuperba Pater.
Hæc ait; aduerſiſque effulgens vltor in armis,
Contudit infidos, flagitijque caput.
Sed ſtrages ſine cæde fuit. Vixêre rebelles,
Queis ingens eſſet poſſe perire lucrum.
Continuò tamen horrificos mutantur in angues;
Et furor in vultu, qui fuit antè, manet.
Lucifer ipſe cadit colubrum porrectus in amplum,
Próque coronâ illi criſta ſuborta triplex.
Igneſcunt oculi, corpus viret omne veneno,
Pellis it in ſquammas, ſibila colla tument.

Nunc

Nunc acuens Martem, linguis micat ore trisulcis;
Nunc & se in nodos, & sua membra plicat.
Hunc ferit, hunc sequitur, labenti feruidus instat.
Clauditur in Stygiis squammeus exul aquis.
Victori plaudit MICHAELI *exercitus omnis,*
Et ter io magnâ voce triumphe canit.
Nec minùs ætherei iustus Regnator Olympi
Defensori aptat laurea serta suo.
Maxime Cælicolûm, contempti Numinis vltor,
Hæc tibi quàm iusto laurea Marte venit?
Tu Superos primis armis tegis: ipsaque culpa
Fracta rudimentis subijcit arma tuis.
Tu docilis præstare fidem, patiensque subesse,
Aptasti Domini colla modesta iugo.
Per te Numini honor: per te pax reddita Cælo,
Et per te Virtus tollere visa caput.
Exemplis firmata tuis pennata iuuentus,
Luciferi spreuit signa scelusque sequi.
His tibi pro meritis posita est gemmata tabella,
Palmarum testis militiæque tuæ.
Quippe tot ardentem gemmis cùm viceris hostem,
Euersi spoliis te radiare decet.
Et decet hoc tabulâ subscribi carmen in imâ,
Quod mediâ quiuis hospes in æde legat:
Victori VRBANVS MICHAELI. *absiste superbe:*
Hîc MICHAEL *fastum, Luciferumque domat.*

CELLÆ TVRRIS VATICANÆ STATVIS COLOSSEIS INSIGNES.

NECDVM ornamentorum Vaticani ſumma, paginis procedentibus: noua ſe BARBARINAE magnificentiæ miracula ingerunt. occurrunt cum ſuis imaginibus cellæ, noua carmina nouis monumentis depoſcentes. Aude calame; & quoniam his Apoſtolorum ſepulchrum ornatur, augetur turris decus, recèns toti Baſilicæ ſplendor conciliatur, VRBANI quoque liberalitatem commenda. Eſt in vnâ cellarum Helena, triumphalem Crucem geſtans. Mirare Auguſtam, niſi mirabilius credis adorandum onus. Altera Veronicam habet, impreſſos linteo CHRISTI vultus oſtentantem: fallor niſi ſtuporis ſimul & venerationis in illis argumentum. Tertiam miles occupat, qui pendentis in Cruce CHRISTI latus haſtâ confixit, & quantum illa haſta cruore diuino conſperſa habet dignitatis. In quartâ demum crucis ſuæ decuſſim præfert ANDREAS, ceu deuictæ Achaiæ trophæum, fratris in æde poſiturus. His VRBANVS ſimulacris templum auxit: vt cum Helenâ & Cruce maieſtas, Pietas cum CHRISTI vultu accederet; haberetque Baſilica in lanceâ ſecuritatem, firmitatem in ANDREAE cruce decuſſatâ.

SILVA

SILVA IV.

VRBANVM Latiæ dicite Virgines,
VRBANVM pueri dicite Romuli;
Splendoremque columnis
Turris principis additum.
Vos cellas Phrygio marmore nobiles,
Cellarumque sacras dicite imagines,
Quos auctæ decus ædis
Augentisque animi iuuant.
VRBANO pariter fundite carmina,
Qui spectandi auidi, quiue Deo duce
Vaticana subitis
Ciues limina, & aduenæ.
VRBANVM totidem tollite laudibus,
Quæ mundo domito, quæ scelerum integræ
Diuûm templa tenetis,
Palmâ dignæ animæ, & Deo.
Illæ præcipuè conueniant tibi
Partes magna Helene. Muneris id tui est,
Frater candide PETRI,
Lux & præses Achaïæ.
VRBANI studio victa Veronica
Laudes excipiet: nec piger accinet,
Ferro miles acerbo
Hausit qui Domini latus.
Crux insigne Dei, Crux hominum salus
Serua Pontificem. Pontifici annuant

Dextro lumine, vultus
CHRISTI sanguine roridi.
Tuque ô siderei conscia pectoris
Diuinoque madens lancea sanguine,
Sancti cuspide ferri
Terrarum tege Principem.
Hic vos continuis tollit honoribus;
Hic cellas celebres, signaque grandia,
Grandi incensus amore,
In vestrum statuit decus.

TETRASTYLON SEV MOLES ÆNEA APOSTOLORVM SEPVLCHRO IMPOSITA.



VID hæres ad huius superbæ molis aspectum attonitus? dignissima quidem est admiratione: sed vulgare est magna demirari: suspiciendus magis & extollendus animus Auctoris: celebranda ingeniosa pietas, quæ & tantum decus excogitauit, & conflari iussit. Squalebant ingloriæ in porticu Panthei trabes, iam inde à Vipsanio Agrippâ obtentæ lacunari: verùm ærugo (quis credat?) ad maius decus illis profuit; quod ipsum tanto impensiùs æstimandum, quia VRBANI beneficium est, solertiam magnificentiæ admiscentis. Quantæ enim

enim ſagacitatis eſt, ex opere iam euaneſcenti, recens & ſplendidum excitaſſe? Hoc fecit, cùm PETRO columnas quatuor, magnitudine, opere, elegantiâ ſupra quàm ſcribi poſſit ſpectabiles dedit. Quantæ magnificentiæ, è ſqualidis laminis erexiſſe monumentum inuidiâ & commendatione maius? Hoc conſecutus eſt, molem ſignis, vmbellâ, faſtigioque clariſſimam ad ſepulchrum PETRI ſtatuendo. Quàm vtiliter, opus Agrippæ, factum eſt VRBANI? Vaticani ornamentum, quod fuerat Panthei? Apoſtolorum gloria, quæ Iouis? Si Romæ adhuc intereſſe Agrippa poſſet, vbi ſibi ſuoque metallo gratulatus eſſet, teſtaretur omnibus, nec æs ſuum feliciùs potuiſſe tolli, nec glorioſiùs innouari. Hæc ſentires liuor, ſi ſenſum aut oculos haberes. nimirum fecit VRBANVS ex inutili ære, quod multo auro, magnis expenſis, nulli Pontifices, Cæſares nulli moliri vmquam potuiſſent.

SILVA V.

MIranda moles, ſiue Corinthio
Exſtructa ritu, ſiue nouo, PETRI
Ornas ſepulchrum: principiſque,
Ære micans radiante, famam
Delubri adauges. Tolle apicem ſacræ
Regale culmen magnificentiæ;
Tempuſque rumoreſque, maior
Excidio inuidiaque, ride.

Sic te locandam viderat alitis
Princeps iuuentæ; templaque Panthei
Nascentis, & nexum lacunar
Ære tuens, bona fata dixit:
Cultu nefasto Numinibus tuis
Agrippa templum ponis; & Actiæ
Laurus, triumphatæque Memphis
Vota Ioui scelerata reddis.
Verùm profanis relligionibus
Olim expiatum ritè dicabitur;
Magnæque delubrum MARIAE
Fiet, & ætherei Senatus.
Hæc laminarum gloria, barbaro
Quæ fulgurantes ære tegit lacus,
Seruatur augustos in vsus,
Et specimen potioris artis.
Cùm multa Titan sæcula voluerit,
Diusque habenas consilio & manu
VRBANVS *Orbis temperarit,*
Prisco operi noua forma surget.
Iam iam verendam præcipio pij
Summam laboris. Iam coëunt typi:
Iam signa, & vmbellam, & columnas
Artificum properabit ardor.
O quantus ædi, quantus erit decor
PETRI *sepulchro! quàm speciosiùs*
Assurget ara Vaticani
Isthmiacis radians columnis!

Superba

Superba ſummas ſigna premunt trabes.
Aurata fulgent ſymbola. Noſco Apes,
Inſigne gentis BARBARINAE;
Noſco Apicem, Latiasque Claues.
Te quæ decoro nobilis in globo
Orbem ſubactum Crux tibi vendicas,
Teque ô Columba ſanctitatis
Alma parens fideique noſco.
O fauſta molem quæ ſtatuet dies,
O digna faſtis! Currite ſæcula,
Lentique feſtinate menſes;
Nulla operi mora danda magno.
Hæc præcinenti, vertice Pantheon
Ter intremiſcens annuit; ipſaque
Ter porticus, ter Vaticani
Lætitiâ ſaliere colles.
Oraculi nunc Roma fidem tenes.
En obſoleti ſquallida Panthei
PETRI *penetrale æra obumbrant,*
Sed ſpecie potiore ducta.
Quid priſca tantum magnificentia,
Recens quid ætas Roma tibi dedit?
Hac mole vel ſolâ, quod vſquam eſt,
Et veterum monumenta vincis.
Diuûm ſuperſtes conſilio ſtetit
Æs tot per annos, ſcilicet vt PETRO
Artis vetuſtæ Rector orbis
Magnificum ſpolium dicaret.

MAVSOLEVM VRBANI VIII.
IN VATIC. BASILICA EXSTRVCTVM.

HORRES ad huius funebris Mauſolei nomen? Conſiſte, non eſt quòd luctuoſum tibi omen, metúmve pro VRBANO fingas. Si quod omen ineſt, occupauit, & obruit VRBANVS, dum mortalitatis in ſummo faſtigio memor, Mauſoleum ſibi in Vaticani Baſilicâ fecit. Verùm quid aliud præſtitit, quàm vt de morte adhuc viuus triumpharet? quid aliud, quàm vt trophæum ſuis cineribus properaret? Timeant mortem illi qui neſciunt quotidie mori: qui nec intellexerunt, quàm amabilis ſit caducæ vitæ iactura. Ita ſe comparauit VRBANVS, vt cæleſtis Imperatoris iuſſu, non doleat è ſtatione diſcedere. Tu qui numquam abeundum putas, qui amares æternùm ſupereſſe, haud tumulum tibi exſtruxeris. At mundum hunc domicilium dum eſſe, non hoſpitium credis, improuiſus euocaris; hoc calamitoſiùs, quo inconſideratiùs tibi migrandum. Longè alia fortiſſimo Pontifici mens. qui mortem cogitauit, vt nihil metueret: dum in alienis ſe eſſe deprehendit, pergit in patriam: mori non fugit, quo æternùm viuat. Viues certè VRBANE, viues, & hîc diu, & illic ſempiternùm. Verùm quid præſentem vitam

tam adeò faſtidis? quid abire deſtinas, cùm maximè es Orbi opportunus? Ames hîc cum tuo grege ſupereſſe. Efficaciùs per Te reſtituetur. Pacem à Te omnes expoſcunt: Tu illam dona poſcentibus. Da peractum quod feliciter cœpiſti. Sumus Tui, ſimus per Te tranquilli. Te longùm ſuperſtite, periclitari non poſſumus. Eſto quàm diutiſſimè ſuperſtes. Hoc Deum poſcimus, hoc vouemus, apponantur anni noſtri Tuis. Diu vixerimus, ſi Te diu frui contigerit.

SILVA VI.

Æ Thereæne domus, paciſque incenſus amore,
Hoc tumulo ad Superos nobile ſternis iter?
An ſontem pertæſus humum, & mortalia regna,
Regna, per hanc molem, non peritura petis?
An quia nec Sceptris, nec parcunt fata Tiaræ,
Fatorum leges anteuenire paras?
Non metuunt fortes properanti occurrere leto.
Quæ meditata venit mors, toleranda venit.
Sæpè ſibi exequias geſtit perſoluere Virtus,
Sæpè graues queritur nectere fata moras.
Nos animæ viles, vitæ dulcedine capti,
Spondemus vitæ tempora longa breui.
Inficit ad mortis ſubitus nos nomina pallor;
Hæc auget noſtros horrida cura metus.
Tu melior, vacuuſque necis formidine, fatum
Præcipis, & ſummo diſcis abire gradu.

Parce

Parce tamen, parce instruere, & properare sepulchrum:
Hoc Te vnum mundus posse iubere dolet.
Quæ Tibi tanta venit mortis cælique cupido,
Si potes hîc rerum longior esse salus?
Et potes, & petimus, patientiùs vtere vitâ.
Hæc Tibi, nec terris vana futura mora est.
Vult Tibi se mundus debere, tuóque labore
Restitui: mundi ne Pater esse nega.
Quid speciosa Paros, quid Sinnas marmora mittit?
Haud tumulo digna est illa vel illa tuo.
Nec tanti est quidquid donat maculosa Syene,
Quidquid dant Ligures, quidquid Hymettus habet.
Tu quoque molitor lacrymosi operose sepulchri
Desine. non felix ars tua fingit opus.
Nam quî grande breui scribes in marmore nomen?
VRBANO *tumuli est Roma solumque modus.*
Si tamen impellunt magni te iussa Parentis,
Materies arti quàm datur ampla tuæ!
Sculpe operum summam. Geminæ da tempora vitæ,
Quamque Ostrum VRBANO, *quamque Tiara dedit,*
Adde tot ornatam templis, tot fontibus vrbem:
Pisauri solio reddita sceptra PETRI.
Limina fingantur reserataque, clausaque templi:
Finge instaurati Pontis & Arcis opus.
Adde Arces alias: frænatam Tybridis iram:
Martia vt innumeris iunxerit arma libris.
Sculpantur fracti Tyrrheno in littore Thraces,
Partheniusque nouâ sub cruce lectus Eques.

Sup-

Suppetiæ Rheno missæ, auspiciumque Polonis:
His Gothi audaces, hoc cecidêre Scythæ.
Tum tibi si superest reddendæ industria mentis,
Omnibus hæc curis in bona mentis eat.
Exprime vim cordis sine laruâ & fraude sagacem,
Quæ simul illecebris ponere fræna sciat.
Sculpatur pietas; sculpantur lumina morum,
Ac procuratæ Relligionis amor.
VRBANI *hæc species: tot claret splendida factis.*
Quo valeas saxo reddere tale decus?
Non illud, marmor, non æs capit. omnia supra est:
Ars quoque materiâ vincitur ipsa suâ.
Has tamen, has dotes mors atrox inuidet orbi:
Heu tumulum VRBANVS *destinat ipse sibi!*
Destinet vsque licet: totum tamen ibit in æuum.
Virtutem numquam claudere saxa solent.



GESTORVM VRBANI VIII. PONT. MAX.

LIBER TERTIVS.

VRBIS SPLENDOR AVCTVS.



GE nunc, quid in Vrbis vel ſecuritatem, vel ornamentum, aut etiam commoda perfecerit VRBANVS, attendamus. Vt ſe tueri contra hoſtes poſſet, arce & armamentario illam muniuit: vt commodior eſſet, crebris fontibus irrigauit; vt ornatior, templa BIBIANÆ & SEBASTIANI partim inſtaurauit, partim exſtruxit. Ab eo pons Ælius laxatus, Tybridis exundationibus occupandis. Luſtralis fons Conſtantini reparatus in Laterano. Quirinales horti immenſis molibus firmati. Academia au-

ćta: ac ne longior ſim, nullam Vrbis plateam adire eſt, in quâ & inſtaurationis nouæ, & VRBANIANÆ magnificentiæ, monumenta non exſtent.

ARX
IN ÆLIÆ MOLIS RVDERIBVS INSTAVRATA, MVNITA, ABSOLVTA.

STA Viator. VRBANIANAM arcem ſuſpicere, vel operis te magnitudo inuitat, vel iubet dignitas Auctoris. Ruinoſum opus inſtaurauit VRBANVS, vt perfugium Pontificibus daret. Muniuit, vt hoſtium aſſultus excipere & retundere valeret. Abſoluit, ne inconſideratè ſuſcepiſſe videretur. In inſtauratione ſingularis eius vis elucet: quoniam ex arce vetuſtate lapſanti, firmam; ex facili captu, inexpugnabilem fecit. In munitione Magnificentiam Prudentiæ iunxit: nam & aſpectu pulchra eſt, & omni bellico apparatu inſtructa. Abſolutio demum inuictum eius animum teſtatur; cui aliquid aggredi, perficere eſt. Si pius es, gaude aſylum hîc Pontificibus apertum: ſi impius, morari te nolo, abſiſte, & hoc Romanæ Sedis hoſtibus refer: Arcem VRBANI nec Vandalorum copias, nec Hunnorum arma formidare.

SILVA I.

ARma Romanus fremit, arma miles.
Arx nouis ſurgit renouata muris.
Plectra quid differs? age Muſa, pulchro
Plaude labori.
Splendor æternæ cumulatur Vrbis:
Principis magni monumenta creſcunt:
Non licet poſthac humili per auras
Ire volatu.
Quà Tybris flauo ſubit amne Romam,
Hîc vbi pomo cinis Adriani
Æneo clauſus celebri dicabat
Nomine molem;
Arx erat valli malè ſepta foßâ,
Tota lapſanti ruitura muro,
Si qua turbatæ fera Ciuitati
Fata fuiſſent.
Senſit VRBANVS, *ſeniumque muri*
Ritè pertæſus; Malè Roma, dixit,
Fidis huic arci: malè te Scytharum
Seruet ab armis.
Hîc Pater rerum, Dominusque mundi,
Pænè captiuus profugusque ab aulâ
Paſſus eſt diri tumido ſub hoſte
Tædia belli.
Vidit elatis volitare ſignis
Barbaras gentes, populi cruore

Infici

Infici Tybrim, rapidisque templa
Cedere flammis.
Heu cicatricum scelerisque tædet!
Sat datum est hosti: furor occupetur,
Sæua ne posthac referat scelestus
Vandalus arma.
Surgite in cælum meliore saxo
Debiles muri: super exstet agger
Fistulæ è pinnis: cita fata, lato
Ore minentur.
Æneis portam stabilite valuis,
Nulla quas pestis penetrare possit.
Fidus æternâ statione seruet
Mœnia miles.
Tuque complendis vage Tybri fossis
Dexteram in ripam fluuium reclina:
Si tuis vndis lauitur, perennis
Arx mea surget.
Sensit VRBANI *sacra dicta Tybris,*
Quaque aquas iussus properè retorquet.
Feruidæ ducunt operæ superbos
Vndique muros.
Mox vt assurgens opus ire cœpit,
Cærulos fratres viridemque pubem
Glauca compellit celebri labori
Subdere colla.
Ipse nunc latis humeris molares,
Nunc subit dorso lateres recuruo

Splendidè acclinis, modò longa anhelat
Voluere saxa.
Nocte dum carpunt operæ quietem,
Aggerem glebis vigil actuosus
Tollit, aut vndæ creperæque calci
Miscet arenas.
Interim Brontes docili metallo
Fusiles feruet properare cannas;
Nubium cannas sonitum æmulantes
Et Iouis ignem.
Nec minùs glandes Steropes aceruat.
Ipse præduris manibus Pyracmon
Cardini æratas animosus instat
Figere valuas.
Mente quod totâ Genitor petisti,
Obtines; orbis Dominos fideli
Arx teget muro, satis vna cuncta
Hostica contra.
Tu pari fines Mutinæ coërces
Martius fræno, placidâque ab aulâ
Bella longinquo metuenda motu
Prouidus arces.
Iam licet Gothos Alaricus Vrbi
Victor infundat, Scythiamque & Arcton;
Tutus hîc spernas rabidæ furorem
Armaque Gentis.

ARMAMENTARIVM VATICANÆ BIBLIOTHECÆ ADIVNCTVM,

CVM HAC EPIGRAPHE:

VRBANVS VIII. PONT. MAX. LITTERAS ARMIS, ARMA LITTERIS.

QVID? duæ res antè diſſociabiles, litteræ & arma coniunguntur. Armorum feritas, litterarum lenitate miteſcit. O diuinam, & à diuinâ tantùm manu faciendam coniunctionem! LITTERAE ARMIS, ARMA LITTERIS. Finge qualecumque verbum libuerit ornatus, auxilij, commercij. Illius vſum permittet VRBANVS. Vis litteras armis, arma litteris, ornamento eſſe? VRBANI beneficio mutuum decus vides. Vis auxilium à litteris in arma, ab armis in litteras deriuari? comparata ſunt vt ſibi viciſſim opitulentur. Vis denique arma litteris, litteras armis, feliciſſimâ colligatione deuinci? deuinxit VRBANVS. Iterùm excogita, quid Mars Muſis, Muſæ Marti conferre poſſint; videbis enſem Martis Muſas tueri, Muſarum prudentiam Martis impetum moderari: illarum induſtriam, huius viribus; huius ferociam, illarum diſciplinâ temperari. Habes Roma, Sapientiam Fortitudinis auxilio ſecuram. Exſpecta Fortitudinem

nem Sapientiæ ductu victricem: quanto tranquillæ tibi fuerunt ornamento litteræ, tanto erunt arma turbatæ præsidio. Quin vt bibliothecâ regebare, sic defenderis armamentario. Et quorsum non exclames, tuos inter Pontifices hoc esse VRBANVM, quod fuit inter Imperatores Augustus? Ille marmoream te, ex lateritiâ fecit; hic munitam, ex inermi.

SILVA II.

ERgo quod Æneadis sub nullo Principe visum,
VRBANI *tulit Imperium; consortia pulchri*
Fœderis, & pacem bello sine fraude iugatam.
Cernite Romulidæ, tecto quàm mira sub vno
Mars ferus & teneræ posuerunt templa Camœnæ:
Cernite, quàm placidè socialia fœdera seruant.
Hîc citharæ frameam, frameæ laurumque lyramque
Aonides gaudent adiungere: iamque cruentum
Fulminei diui Sapientia temperat ensem;
Tu quoque Castalias seruas Gradiue sorores.
Sic adeò in libris quidquid mens ardua Sixti
Luserat indulgens doctrinæ, animosior armis
Perficit VRBANVS *: quippe obses & optimus auspex*
Martem cum Musis, Musas cum Marte maritat.
Felix connubium! sic se per mutua nectunt
Consilium ac vires. sic Vaticana Minerua,
Olim oleâ vernans, & casside inermis ademptâ,
Virgineum horrificat cristis caput: armaque dudum
Desueta

Desueta induitur; iamque ægida quassat & hastam;
Fati vtriusque capax, seu iusta lacessere bella,
Seu certè studiis florere haud desidis oti.
Illam antè instrueret cùm Sixti cura, librorum
Millibus in mediis non viderat arma deesse,
Quæ pacem tegerent. VRBANVS *ad omnia promptus,*
Omnia præcipiens, casusque arrectus in omnes,
Tantum illi armorum generoso munere confert,
Quantum non Siculis Cyclops operosus in antris,
Sedulus Æolio nec fingeret igne Pyracmon.
Loricæ crudo ferri splendore rigentes,
Et clypei galeæque micant. Sunt æmula flammæ
Cælestis tormenta, quibus perrumpere muros
Vrbis inaccessæ, vel castra hostilia Mauors
Sæuus amat. Videas pugnandi nomina mille,
Mille repugnandi. Pendet Chalybæa supellex,
Exspectans quò fata vocent, quos Martis in vsus
Ausonius Pater ire velit: quæ condere fata
Præcipiat, quæ bella sequi, quam sternere gentem:
An Latiæ Rhodopen Sedi submittere, puri
Carpere num sacras lauros Iordanis ad vndam,
An Scythiæ vires, an Lappi frangere malit,
Et Rhenum vlcisci. Plena est terroribus aula,
Plena ornamentis: sparsæque per arma secundum
Omen apes Ducibus spondent. Si talibus olim
Romulei Proceres, defensaque Roma fuisset;
Nec tu Alarice ferox Capitolia victor adisses,
Sub iuga nec captam misisset Vandalus Vrbem,

K *Roma*

Roma vetus ſtaret: ſtarent monumenta Quiritum,
Antè Vrbis decora, & victi miracula mundi,
Rudera nunc tantùm, & tragicis ploranda cothurnis
Triſtis materies, Gothique æuique ruinæ.
Eſt tamen vnde tuum ſedes Romane dolorem.
BARBARINO *aliquis ſurget de ſanguine Princeps;*
Sic voueo, ſic aſtra dabunt; qui numine dextro
Totque armis fretus, gentiliſque omine ſigni
Trans Boream Gothos, trans brumæ regna ſequatur,
Et Patrum penſet numeroſis damna triumphis.
Tempus erit, cùm tu, quam nunc iuga barbara curuant,
Libera ſublatis ſurgas Iudæa catenis;
Hiſque armis reddare Deo. Iam ſidera ſignant,
Qui benè caſtra regat. Iam palmas nutrit Idume
Victori: feruent Neptuni cærula regna
Luce laceſſiri armorum. Nereides æquor
Componunt: leniſque rates vocat Auſter in altum.
Rumpite fata moras, Turcoſque repoſcite ſceptra
Auſtraſidum, & ſancti decora obſcurata Sepulchri.
Rumpite fata moras: Crux rurſum ad fœdera Gentes
Suſcitet. VRBANO *renouetur Principe bellum:*
VRBANI *nomen Turcis fatale domandis.*
Indigetes Solymæ, tu Sion, tinctaque CHRISTI
Sanguine terra, ſacri montes, iuga debita PETRO,
VRBANI *curas æquate, Orbiſque gementis*
Tandem audite preces. Satis ah, ſatis impia Thrace
Polluit inceſtis CHRISTI *cunabula lunis!*

Acci-

Accipiat Judæa fidem, fauſtoque regreſſu
Relligio ad fontem redeat. penſentur Eoæ
Probra domus, Thracumque nefas. Voſque inclyta magni
Tela armamenti, vos haſtæ, enſeſque ſuperbi,
Qui modò Biſtonio feruetis ſanguine tingi,
Has Latiæ Sedi properate acquirere palmas:

FONS VALLIS PINCIÆ.



AD collis Pincij radices, vbi ferè Cæſarum Naumachiæ priſco æuo cupidiſſimè ſpectabantur, Fontem ex Aquâ Virgine VRBANI liberalitas Quiritium in vſum corriuauit. Atenim parum habuit corriuaſſe, niſi pulchrum faceret. Pulchrior verò eſſe non potuit, niſi & ſpecimen antiquæ magnificentiæ, & Auctoris ſymbola præferret. Nauis eſt è quadrato lapide, modico lapideo lacu circumfuſo, vt ſit monimentum eò loci pugnaſſe quondam naues. In puppi proraque Sol expreſſus, medio ſui orbe vberes aquarum riuos, ceu fluidum lumen fundens; credo vt VRBANI Solem Alium & Eumdem referat. Idem certè hic eſt, cùm ipſiſſimus ſemper in ſaxo maneat, & Alius, quòd alias ex aliis aquas continuò fundat. Nondum dico, aquas vt riuos mellis emanare. omnino qui BARBARINIS ex apibus eas fluere viderit, nihil aliud quàm melleas vndas è melleis volucribus

exspectet. Sed siue sint liquida mella, seu Virginis riui, hoc illis ad bonitatem satis, quòd per Apes VRBANI fluant, & eius iussu sint deriuatæ.

ECLOGA.

CHLORIS, ACETES, LYCIDAS.

POETA.

QVà iuga se longâ demittunt Pincia valle,
Saxea cymba, Apium spectanda & imagine Solis,
Virgineos latices VRBANI *munere fundit.*
Fortè hîc dum multâ Lycidas de nocte sedebat,
Humentes captans vmbras, & frigora fontis,
Ocyùs è summo descendit culmine Acetes,
Capripedum de gente vnus: quo nemo canendo
Extulit antiquæ monumenta animosiùs Vrbis.
Bina corymbiferâ tollebat cornua fronte,
Inter quæ crines sine lege, sine arte iacebant
Hirsuti: lux vda oculis, & nubilus ardor:
Multoque (vt semper) facies distincta Lyæo.
Mox vt fontis aquas propiùs propiusque subiuit,
Pactum ad certamen calamo resonante vocauit
Chlorim vndæ dominam, cœpitque è margine cantus.
ACE. *Chlori quid in vitreo cessas ignaua cubili?*
Iam tuus ad fontem venit meditatus Acetes.
Tu quoque, si quid habes quod respondere pararis,
Huc ades, & lectum timidis somnumque relinque.
CHLO. *Haud me vinosæ tangunt conuitia linguæ:*
Sed

Sed ſi animis calamoq́ue vales, nec dicta refutas,
Quorum poſt menſas larga eſt tibi copia ſemper,
Incipe, ne qua tibi per me mora, ruſtice, fiat.
Hoc ego depono textum, cui ſtellifer orbis
Additus, & roſeo conſurgens Phœbus in ortu
Idem, aliusq́ue. iacent ſubtus tellusq́ue fretumq́ue,
Atque apium triplici feruent examine reges
Melle ſolum complere. At tu quid pignoris affers?
ACE. *Nil mihi cum radiis, nihil eſt cum ſtamine: verùm*
Quæ non inferiora vocabis, pocula ponam
Iſthmia, mirandas diuini Mentoris artes.
Argumenta Remus præbet cum fratre Quirino.
Ambo lupæ pendent ex vbere, mollibus ambo
Vbera pertentant manibus, lambuntq́ue parentem
Intrepidi: illa in onus tereti ceruice reclinis,
Ætherei ſtirpem generis ſentire videtur;
Iamq́ue Remi, linguâ, iam fratris corpora fingit,
Nutrixq́ue externos educere geſtit alumnos.
Sed iam tempus erit, quid poſſit vterque, viciſſim
Conari. Lycidâ certamen iudice fiat.
Paſtores etiam componant iurgia Diuûm.
CHL. *Non renuo Lycidam. Lycidæ mihi fiſtula cordi:*
Sæpè illâ Nymphas tenuit, Faunosq́ue bicornes.
LYCI. *Paſtoris non eſt Diuûm componere lites:*
Sed ſi tantus amor mentes certaminis vrit,
Si Lycidam teſtem certaminis eſſe iubetis,
Incipite, arrectos aduertam ad carmina ſenſus.
Nunc vrbis ſtrepitus, nunc vulgi murmura ceſſant,

Nunc stellæ arrident, nunc grata silentia noctis.
ACE. *Integra cùm veteris floreret gloria Romæ,*
Hîc Tybris immissis stagnabat plurimus vndis,
Et celeres terrâ in mediâ concurrere naues
Cernere erat: memini, totâ huc ex vrbe frequentes
Visendi studio plerumque coisse Quirites.
Ipse pater solito spectator Tybris ab alueo
Ad ludos veniebat; eum hispidus vndique cœtus
Tritonum, & denso ducebant agmine Nymphæ,
Seu quæ vicini montis iuga sacra colebant,
Seu quibus in fluuio vel Martis in æquore sedes.
Quàm facies tum pulchra loci! sed qualia nobis
Prodigia, & quales sortes Panopea canebat:
Obruet hanc speciem, quid enim non obruat æuum?
Et multos locus incultus squalescet in annos,
Donec aquam Phœbus nitido pro lumine fundat.
Illa diu dubiam tenuere oracula mentem,
Et quî Phœbus aquas pro lumine fundere posset
Quærebam attonitus: sed nunc se oracula produnt.
Accipio Diuos, ignoratumque vetustis
Responsum agnosco: fecit Pater optimus Orbis,
Vt gemini hîc fundant, pro lumine, flumina soles.
Melliferas nosco volucres, insignia nosco
Ausonij Patris. viden vt Titanis ab ore
Intrat apes, ducitque VRBANI *lympha saporem?*
Huic mihi dum dabitur calamos immergere fonti,
Ipsum etiam Phœbum valeam superare canendo,
Nedum nostra tuis exæques carmina Chlori.
CHLO. *Es-*

CHLO. *Efficiam vt mecum posthac contendere nolis.*
Sensibus hæc imis Lycida, quia magna, reponas.
Stat vetus & multos arbor seruata per annos,
Incisum tenero seruans in cortice carmen:
Cùm te ad radices Pinci, Collatia Virgo,
Saxea cymba vehet, tunc aurea sæcla redibunt,
Et mellis totâ manabunt flumina Româ.
Ite, implete Vrbem rigui vaga flumina mellis,
Et pulso lucete orbi bona sæcula ferro:
Appulit ad Pinci vallem Collatia Virgo:
In manibus saxum est, nauemque hîc stare videmus
Plenam prodigiis, & plenam Virginis vndâ.
Hanc Pater VRBANVS *iuga per decliuia, & ipsam*
Flaminiam, populi deduci ad commoda iussit.
I nunc, immissum Tyberim mirare Vetustas,
Cæsareosque lacus, certataque prælia in amne:
Gratior in fonte VRBANI *nunc Virginis vnda est:*
Hîc noua quotidie cernunt spectacula ciues.
Martia in auratis hîc currit Roma quadrigis.
Hîc vespertini variantur ludicra cursus.
Ipse etiam fontem Deus incolit. Illius vndas
Ducere Laurigeri vates, quàm fonte rigari
Castalio malint. hîc fonti dulcia mella
Conciliatis apes, ipsisque est nectar in vndis.
Ergo VRBANVM *alacres memorate Quiritibus vndæ.*
Illi ego perpetuas dicam sub gurgite laudes;
Dumque hîc me liquidi domus humida fontis habebit,
Nec me Nereides vasto sub marmore vincent,

Iulius Front. De Aquæductibus sic de Aquâ Virgine: *Concipitur viâ Collatiâ, ad miliarium octauum, &c.*

Nec

Nec me carminibus ſenior ſuperabit Acetes,
His licet Oceanus, Bromius licet huic pater adſit.
LYC. *Tale tuum Chlori eſt, & tale eſt carmen Acetis,*
Qualis vere nouo philomelæ cantus in vmbrâ,
Cui teneri ponunt Zephyri, dulceſque cicadæ.
Digna tuo Chlori texto es: ſua pocula Acetes
Vendicet. Atque vtinam tam culti carminis, Euri,
Partem aliquam VRBANI *ſacras referatis ad aures.*

ACADEMIA ROMANA AVCTA VRBANO VIII. SAPIENTIÆ LAVDEM ET PATROCINIVM.

SI Regem amor virtutis & veri, non oſtri vel diadematis fulgor facit; Sapientiam hominis diadema iure nuncuparim. Quid ais pluſculum me Sapientiæ tribuere? Non tribuo; etiam curulibus illam & coronis prætulit Salomon, idemque Rex, nec trabeâ quàm ſapientiâ clarior. Falleris qui terminos Imperij metiris ſpatio terrarum tibi ſeruientium. Tibi licet orbis ſubeſſet, hoc edico, anguſtiùs regnaueris ſi cares ſapientiâ, quàm ſi te ſolum ſapienter moderere. Dum ſubigis animos, totum

tum quodammodò orbem victoriâ percurris. Diffusior est animus mundo, terrisque capacior. Quantum esse Sapientem oportet, qui flectit? Te respicio VRBANE: qui te cepisti & gubernasti, priùs Tui, quàm orbis Dominus. Decebat, opinor, in tuis experiri Te, quid deinde in omnes posses. Sed licet coronis Te superextulerit & Tiaræ, tantæ Sapientiæ maiestas; patere tamen, vt hoc liberè dicam, quod verè sum dicturus: Non leuiorem Tibi laudem deberi, quòd alienæ sapientiæ patrocinium tam cupidè suscipias. Nempe astra non impensiùs commendantur, quòd sibi, quàm quòd mundo luceant. Laudat Te orbis, laudat Academia Romana, quæ tuis iam opibus ornatior: SAPIENTIAE LAVDEM ET PATROCINIVM publico tibi marmore gratulatur. Breui quidem inscriptionis elogio, si verborum moles & cortex attendatur: peruadentibus in medullam, speciosius sub imaginibus Cæsarum scriptum videbitur nihil. ne tum quidem cùm Africani, Parthici, Adiabenici à deuictis gentibus sunt appellati. Plus est Sapientem esse, quàm victorem: Sapientes tueri, quàm hostes profligare: Academiam Sapientiæ domicilium ornare, quàm facere prouinciam.

SILVA IV.

Quem tu nascentem Diuûm Sapientia ab arce
Vultu benigno videris;
Hunc neque Martis amor
Per medias acies, dubijque pericula belli,
Instar furentis turbinis
Præcipitem rapiet:
Nec tumido elatum ventosa superbia fastu
Coget ruinâ gentium
Triste parare decus.
Non illum mundi spoliis, aurique pudendi
Grauem rapinis, vrbibus
Turpis auarities
Ostendet. Sed quæ gazis cælestibus auget
Delubra virtus pectoris,
Cognitioque sacri
Veri, clarabunt sapientem. huic Numen amicum
Artes recludet Cælitum
Diuitiasque poli.
Sceptra illi & trabeas Regum, & diademata subdet,
Et cuncta quæ vulgus leue
Magna vocare solet.
VRBANVS Sophiæ studiis & luce refulgens,
Vtramque Titanis domum
Mentis ab arce regit.
Hinc gentes dubiis poscunt oracula rebus,
Suique mundus Principis
Suspicit ingenium.

Illius curis Romana Academia celſum
In aſtra tollit verticem.
Surge decora domus:
Lætior hîc poſthac figet Sapientia ſedem:
Hîc nacta ſe dignos lares
Vſque habitare volet:
Nec Pandionij tangetur amore Lycei,
Nec templa amabit Indiæ,
Nec Druidum nemora.
Hîc alto in ſolio, ſceptroque decora potenti,
Stirpem docebit Romuli,
Quis Deus aſtra regat:
Quo Sator æternus generarit lumine Verbum:
Quo dius ardor halitu
Fuſus, vtrumque ligat:
Cur Verbum purâ clauſit ſe in Virginis aluo:
Cur corpus obiecit neci:
Quæ medicina Crucis.
Hîc ſacrata tuæ defendet iura Tiaræ:
Hîc vincet errorum dolos,
Diraque monſtra premet.
Ad vocem ipſius naturæ arcana patebunt,
Et cuncta quæ ſacris tegis
Docta Stagira libris.
Hîc Iuris nodos, Legumque ænigmata ſoluet,
Quæcumque dicta Cæſarum
Pontificumque ferunt.
Jam Phœbi tradet doctique Machaonis artes;

Quo febris, aut graſſans lues
Gramine victa fugit.
Nunc radio terras deſcribet, & Ætheris orbes,
Quidquid Tarentinus monet,
Trinacriusque ſenex.
Hîc Muſas etiam tua facta referre iubebit.
Illæ minores poplite
Iuſſa reæ facient.
Hæc canet vt terris cælo datus, omnia ſeruas:
Mellita vt Vrbi ſub Tuis
Sæcula eant Apibus.
Hæc Vaticanæ referet miracula Sedis:
Auctam illa Romam concinet
Curâ opibusque Tuis.
Illa Tuo vt ſurgant ductu Regna aurea, dicet,
Tuisque iuſſos moribus
Viuere Romulidas:
Vt populos dextrâ flectisque fouesque potenti;
Regumque & Orbis Arbiter
Numine cuncta reples.
Ite meæ VRBANVM *pariter cantate Camœnæ,*
Hæc cura ſit, veſtrum hoc opus.
Maius in orbe nihil.

FONS

FONS LVSTRALIS CONSTANTINI INSTAVRATVS.



VAM potens eſt Pietatis manus! quæ tempus etiam, cuius ictu præclara quęque ſubruuntur, vim ſuam reuereri ſibique ſubeſſe cogit. Vetuſtate concidebat Fons Conſtantini; in quo, elephantiaſi adhuc infectus, morbum & crimen abluerat. Verùm iniurioſi temporis ruinas, Pietas VRBANI tam cumulatè penſauit, vt plus ſplendoris Fonti vel paucis diebus acceſſerit, quàm aut multis antè ſæculis tempus abſtuliſſet, vel in poſterum ſit ablaturum. Diceres quadam fortunæ induſtriâ Fontem deformatum, quo ornatior reſurgeret. Tantus equidem eſt hodiernus eius ſplendor, vt præter aurum & marmora videas nihil. Sed hæc VRBANO viſa leuia, niſi gemmis etiam ſolum ſterneret. Æſtimauit credo munificus Pontifex, nullam in ornando Conſtantino profuſionem fieri, cùm ille Imperij opes in Pontificum amplificationem tam honeſtè olim prodegiſſet. Te felicem, VRBANE, qui gratiam Conſtantino remenſus es! Feliciorem Conſtantinum! cuius cum inſtaurato Fonte memoria ita reuireſcit, vt ſicut recenti Tuo beneficio augetur, ſic nouum poſteritatis plauſum mereatur.

SILVA V.

VIderat ornatus hos Constantinus ab astris;
Fons meus in melius, fons renouatur, ait:
Hîc me Siluester cælesti aspergine tinxit:
Hîc tincto duplex vita reperta mihi.
Vna elephantiasin detersit, & altera crimen:
Ista salus animi, corporis illa fuit.
Crudeles medici, sic morbum arcere parastis?
Peior erat nostrâ sons medicina lue.
Tu PETRE, tu mitis, per quem meliora iubentem
Lustralis subijt sanguinis vnda vices.
Lympha mei morbi, scelerum sacra lympha piamen,
Quàm iuuat aspersæ supposuisse caput!
Quàm iuuat Ætherei struxisse piacula fontis!
Haud vllum potui condere maius opus.
Hîc Auctor Fidei nitido efformatus in auro,
Iordanis supplex excipiebat aquas.
Hîc debellato PAVLVSque PETRVSque Nerone
Stabant; hic gladio fulgidus, ille cruce:
Multaque prætereà variis simulacra figuris,
Maternæ & fidei splendida dona meæ.
Scilicet hæ species, atque hæc simulacra fuerunt:
Omnia vel prædo, vel grauis hora tulit.
Sed fato cecidere bono: potiora resurgunt;
Excidioque redit clara ruina suo.
Non sinit VRBANVS nostræ cunabula vitæ
Longiùs in misero fœda iacere situ.

Maxime

Maxime Pontificum, lux præsentissima mundi,
Impensis habeo qualia templa tuis!
Hic Tu per gemmas Romanum incedere cogis,
Mirantem posito quas pede calcat opes.
Ipsa micant rutilo laquearia operta metallo,
Materiæque suæ nobile certat opus.
Fecisti vt Parij labentem marmoris orbem
Hinc atque hinc stabili mole columna ferat:
Gratius vt medium penetrale patesceret, vtque
Vinceret antiquas ars hodierna manus.
Multiplici per Te fulgent emblemate muri,
Totáque sub vario marmore testa latet.
Ecce tuæ volucres spiranti examine ludunt,
Distinguitque volans picta asarota cohors.
Ludite, & optatum date matres nectaris omen:
Vestro durabit præsidio iste locus.
Per vos damnosæ reparauit fata senectæ:
Perpetuum posthac illius esse decus.
Dum rutilo sanctum seruabitis agmine Fontem,
Nulla dies Fontem, nulla ruina premet.
Dixit; & Imperij diadema, aquilasque Quiritum
Est BARBARINAE *subdere visus api.*
At tu siderei sedes pulcherrima Fontis,
Pontificis magni Cæsareusque labor,
Quà potes, & fas est, amplectere nomen vtrumque:
Tutela atque salus illud & illud erit.

GESTO-

GESTORVM VRBANI VIII. PONT. MAX.

LIBER QVARTVS.

RELIGIO AMPLIFICATA.

SPLENDOREM Vrbi collatum excipiant auctæ Religionis incrementa : quæ vt latiùs manant, ſic ampliore quoque digna ſunt præconio. Audiat igitur ſæculum egregia VRBANI facta, felicibus auſpiciis propagatas Religiones, quæ efficiunt, vt Chriſtianum nomen aut ad exteras alteriuſque Orbis gentes fundatur longiùs, aut firmioribus adminiculis in Europâ fulciatur.

CON-

CONFIRMATIO ORDINIS EQVITVM CONCEPTIONIS IMMACVLATÆ VIRGINIS.

NOVVM sacræ militiæ Ordinem Viennæ Austriorum instituerat Carolus Gonzaga, genere, animo, pietate facilè princeps. Genus eius arguit, quòd Imperatorum Orientis surculus est: Animum procul omnem metum habentem, quòd Equites ad bellum Turcis inferendum crearit: Pietatem denique, quòd Deiparæ, quòd Cælitibus se militesque suos sacros esse voluerit. Sed hic siue Militiæ nouæ perennitatem quærens, quia eius Auctor, & inde conseruandi studiosus; siue omen petens & ornamentum Ordini, ne agmen fatale Barbaris Cruce & equestri pallio careret; quacumque mente rem perfecturus ingentem, postquam suos conuocauit, pulchro stipatus agmine Romam ad VRBANVM venit, Crucem ab eo accepit & paludamentum. Nequid interim deesset clarissimorum Equitum splendori, Cardinalis Sfortia Gonzagæ sodalibus paria ornamenta distribuit. Sic ornata & constituta præclara Militia crescit in Othomannorum ruinam: quos Asiæ regno breuî pulsos gauderemus, si ceteri quoque paribus animis arma in commu-

nem hostem exercere, quàm priuatas inimicitias vlcisci mallent. Sed (quæ sæculi peruersitas est) voueri vix ista possunt, nedum exspectari. Pergite tamen in instituto Equites strenuissimi, non deerit præsidium VIRGINIS, non VRBANI auspicium; quo & animo obsequi vestro, & Christianam Crucem figere in omnium Barbarorum oris possitis.

SILVA I.

QValis Phryxeum vellus rapturus Iason
Audacem instruxit Palladis arte ratem;
Qualis & Æsonidis ductu Pagasea iuuentus
Æquoris ignoti sollicitauit iter;
Talis in Osmannum Gonzaga Scythasque superbos
VIRGINIS *auspiciis arma ratesque mouet:*
Talis ei iurata cohors. Horrete Geloni,
Sanguinis & Scythici quidquid vbique calet.
Jam video Euphratem, iam fractis cornibus Hebrum,
Jam Persam, & vinctos subdere colla Getas.
Africa victa ruet: Tyros ingens vulnus habebit:
Nostraque iam supplex vincula Parthe feres.
Armorum surgent, passimque vrentur acerui:
Absumet nostros ignis & aura metus.
Atria Bistonidum spoliis postesque nitescent:
Accipient patrij barbara tela lares.
Ismarias laurus, Asiæque trophæa receptæ
Artificum solers reddere dextra volet.

Nunc

Nunc nouus Eubœam, Naxon nunc reddet Apelles:
   Nunc captas Solymas ludet in ære Myron.
Hic Pario excidium Byzantî marmore finget,
   Hic Othomanneæ diruta regna domus.
Pingentur fortesque Duces, Equitesque, virique;
   Expugnatæ vrbes, quæque, quibusque modis.
His vos illiciis Gonzaga, hoc fœnore laudum,
   Europæ Proceres, ad sacra bella vocat.
Vos quibus est animus, qui famam extendere vultis;
   Hîc animo, hîc famæ magnum aperitur iter.
Hîc celebres offert præpes Victoria lauros:
   Fortibus hîc Virtus mille trophæa parat.
Siue Arabem quæris, seu Thracem agnoscere in armis;
   Splendida prostrato nomina vtroque feres.
Seu quis Idumæas ardes decerpere palmas;
   Palma tibi Getico sanguine emenda viret.
Quisquis eris, quæcumque tibi certamina sumes;
   Cedet in arbitrium terra fretumque tuum.
Si pelago bellare paras, vocat Hellespontus;
   Si terrá, ad pugnam terra Pelasga vocat.
Sin tristes Patrum gestis pensare ruinas;
   Mœsta Cyprus, mœsta est restituenda Rhodos.
Barbara si gestis appendere postibus arma,
   Aut titulos victo quærere Gange nouos;
Postibus arma tibi tradet figenda Canopus,
   Accedet titulis Gangis & vnda tuis.
Tu qui Christiadum, qui Regum prælia damnas;
   Hîc pius aut pugnax, esse & vterque potes.

Communis caussa est: placeant communia bella.
Quid iuuat in rixis deteriora sequi?
Virgo fauet: fauet alma Fides: adspirat Olympus.
Ite alacres, quò vos tam bona caussa ciet.
Virginis auspiciis feliciter omnia vertent:
Tutelæ hoc nomen pondus & instar habet.
Illa tibi Procerum florem Gonzaga legenti
Annuit, eque polis prospera signa dedit.
Vade age: vade sacræ Ductor fortissime classis:
In laurus, dixit, pontus vterque patet.
Terminus Oceani, limesque nouissimus Orbis
Signa tua agnoscat, militiamque meam.
Lux quæ maternâ me primùm vidit in aluo,
Vt tibi præsidium, sic tibi nomen erit.
Tum me nec crimen (testor te Christe) nec vllâ
Afflauit Stygiâ funebris aura lue.
Intactam sceleri, Nati me cura fouebat:
Iam tum grata puto nomine matris eram.
Gratulor hanc palmam, titulum hunc placuisse triumphi:
Inde tuis felix nauibus omen eat.
Sed iam hilaris Regem Gonzaga accede sacrorum:
Perficiam cœptis sit bonus ille tuis.
VRBANO *grata hæc classis; gratissimus Ordo,*
Siue animis Equitum, seu pietate tuâ.
Militiæ leges nascenti posce: ferentur.
Quas feret VRBANVS, *crede tulisse Deum.*
VRBANVS *totum pro Nato temperat Orbem.*
VRBANVS *Nati linguaque voxque mei est.*

Ille

Ille tibi è collo suspendet nobile signum:
Ille humeris ponet pallia longa tuis.
Hoc Duce surget Eques; surget numerosior Ordo.
Quæ restant, curæ cetera sumo meæ.
Euenere. Nouum CHRISTO micat agmen in armis,
Partheniusque nouâ sub Cruce floret Eques.
Floreat Æthereæ defensus numine Matris:
Floreat VRBANI natus & auctus ope.
Floreat; atque Asiam Gonzagæ perdomet armis:
Quaslibet ad palmas nomina tanta valent.
At tu qui veteri maculatam labe MARIAM
Obstrepis, & generis succubuisse malo;
Dura quid innubi facis hæc conuitia luci?
Æquior in Dominam debeat esse cliens.
Non solet obduci tenebris Tithonia noctis:
Sed noctem & tenebras post sua terga videt.
Si nescis, veri Virgo est prænuntia Solis:
Nil sceleris primi, nil ea noctis habet.
Si culpâ infecta est, culpæ captiua vocanda:
Sit licet alterius culpa, vocanda tamen.
Siccine Cælorum Regina, Parensque Tonantis
Probrosi passa est vincula seruitij?
Quid generis sordes? quid auitam in sanguine culpam?
Fatum nascendi quid capitale vocas?
Hoc fatum, has potuit sordes auertere Numen.
Si potuit; numquid præpediisse decet?
Et Princeps, & Natus erat. Sic nomine vtroque
Credibile est Matri consuluisse Deum.

Consuluit certè iam tunc, vxorie Adame,
Cùm noxas sensit mentis ab arce tuas:
Consuluit, tenerâ cùm Matrem in Virgine vidit,
Et voluit culpæ nullius esse ream.
Fœda quid affingis sinceræ crimina menti?
Figmentis numquam sons erit illa tuis.
Heua nouerca soli facta est sine crimine. Crimen
Túne Orbis matrem commaculasse putes?
Quò mihi iura poli? quò vindex Numinis ira?
Scilicet vllâ æqui lege tenetur amor?
Ipse sibi lex maior amor: sibi mitius æquum.
Iustitiam iusto vinci ab amore decet.
Pone tuas lances: pone exorabilis ensem:
Nil in Christiparâ quod feriatur, habes.
Vulnere sin aliquo ferues violare MARIAM,
Per Nati priùs est illa petenda latus.
Non adeò hæc generi pestis fatalis inhæret,
Omnis vt in maculas posteritatis eat.
Sit generis morbus, sit ducta ab origine labes,
Quem, vetitum contra Numinis illa notet?
I mala credulitas. Nati obseruantia Nati
Munus ad hoc lentum noluit esse Deum.
Hoc ipsi Thraces, hoc ipse fatebitur Afer,
Signa vbi Gonzagæ viderit ire mari.
Ite rates, facili percurrite marmora cursu:
Doctrinam hanc, per vos, Barbara terra sciat.
Siue illam Æthiopes, siue illam audiuerit Indus;
Æthiopes credent, credulus Indus erit.

APO-

APOTHEOSIS
B. ANDREÆ CORSINI.

ETSI de nube etiam Sol luceat, ſubluſtris tamen eſt eius lux, nec ad purum eniteſcens. Margarita quoque in conchis pretioſa ſunt; nondum tamen trabeas & Auguſtarum monilia diſtinguunt. Quod Soli margaritisq́ue contingit; Iuſtis poſt mortem accidit Beatorum albo necdum inſcriptis. Soles ſunt, ſed nube conditi: margarita, ſed clauſa conchis. Nullæ illis aræ, nulla templa, ne imagines quidem ponuntur, aut diem in faſtis habent. Vbi Pontificis ore Cælitibus annumerantur, vt perſpectior, ſic celebrior fit illorum ſanctitudo. Talis fuit ANDREAS, Corſinorum Sol; Hetruriæ, vt ſic dicam, margaritum. Latuit annos aliquot ſub nubeculâ, obtuſum lumen fudit. Simul nubem deterſit VRBANVS, effulſit nouum Orbi ſidus; dubium, veterine ſanctitate, an recenti gloriâ ſpectabilius. Lectus eſt ceu nobilis vnio, Eccleſiæ monilibus illigandus. Quare hoc aſtrum mirari ſi lubet; VRBANVM demirare, qui accendit. Vnionem ſi laudas; laudes VRBANO fundito, qui legit è conchis. Huius denique noui Sancti amore ſi tangeris; VRBANVM ama, cuius CORSINVS eſt opus.

THYR-

THYRSIS, ECLOGA.

MELIBOEVS, DORYLAS, ALEXIS.

ADscriptum Diuis Meliboei munere Thyrsim,
Et Dorylæ lusus teneriq́ue canemus Alexis.
Quos non desidibus calamis alterna sonantes
Et tauri & montis miratæ è vertice capræ?
Nec virgulta capræ carpsêre aut gramina tauri.
Ipsi etiam attoniti ponebant murmura venti:
Currere nec fontes poterant, nec flumina labi.
Tu cui nostræ aliquid visæ sunt esse myricæ,
Rex Apium, sanctâ seu mundum flectis ab aulâ,
Siue Deum accedis cæliq́ue soliq́ue sequester,
Seu potiùs placitis antiquæ in collibus Albæ
Ingentes curas paulùm mentemq́ue remittis,
Huc ades; & placido cunctos dum mitior ore
Excipis, exiguum ne dedignare laborem.
Tempus erit (si fata sinunt, faueasq́ue vocatus)
Cùm maiora Tibi moueam. Nunc carmine agresti
Se Tibi sistet ouans, ibitq́ue in sæcula Thyrsis,
Actorum Thyrsis non vltima fama tuorum.
Vix medio flagrans Titan ardebat Olympo,
Cùm densæ cessans Melibœus in ilicis vmbrâ
Argutum Dorylan, & florem ruris Alexin,
Thyrsidis alternis mandauit dicere laudes.
Sic Dorylas, sic & pro se cantabat Alexis.
DOR. *Montibus Hetruscis, liquido memorabilis Arno,*
Pastorum

Paſtorum columen, paſtorum gloria Thyrſi,
Etſi te noſtris mors dudum abduxerit aruis,
Nulla tui tollent nobis obliuia curam.
ALEX. *Italiæ toties audite & viſe per agros*
Formoſi pecoris cuſtos, pulcherrime Thyrſi;
Sit licet in tumulo tua fiſtula condita tecum,
Nec numeros eius, nec carmina neſciet æuum.
DOR. *Hæc ſenior quondam Ægoni narrabat Iolas,*
Quæ mihi ſub veteri memor ilice rettulit Ægon;
Thyrſin adhuc iuuenem magnos ſuperare leones
Luctando, & Satyros ſolitum terrere ſalaces.
ALEX. *Thyrſidis hanc etiam ſeruat vicinia famam,*
Thyrſin cantando rabiem mulſiſſe luporum.
Creſce precor fama, & ſeros peruade nepotes.
Paſtoris Tuſci Geticum laus Orphea vincet.
DOR. *Poſtquam firmatis creuit robuſtior annis,*
Ipſe pedum Arcadiâ Pan illi miſit ab altâ;
Atque ouium, dixit, nunc eſto Thyrſi magiſter.
Nec minus ac iuſſum eſt, feciſti candide Thyrſi.
ALEX. *Ah quoties carmen cùm dulci inflaret auenâ,*
Reſtitit attonitus diuinis cantibus Arnus?
Auritæ quoties venere è montibus alni,
Et quoties durum cautes poſuere rigorem?
DOR. *Ille etiam Phœbo cunctiſque valentior herbis,*
Nunc pecoris tabem, nunc paſtoralia ſanctis
Vulnera ſanabat manibus, morboſque ſuorum:
Sæpè & oues multas morientes reddidit agris.

N ALEX. *Sæ-*

ALEX. *Sæpiùs iratum leniuit carmine Panem:*
Cantanti virides plauſerunt ſæpè Napææ.
Tu quoque magna Pales præbebas cantibus aures,
Seu pecus è ſtabulis ageret, ſeu redderet actum.
DOR. *Vitis vt immites ſuperat ſincera labruſcas,*
Vt ſalices oleæ, pinus formoſa myricas,
Lapſantes corylos quercus; ſic gloria magni
Thyrſidis agricolas omnes, ouiumq́ue magiſtros.
AL. *Dulcè ſonat tremulis immixtus frondibus Auſter:*
Dulcia conantur morituri carmina cycni:
Integrat argutas plangens philomela querelas:
Blandior in ſiluis fudiſti carmina Thyrſi.
DOR. *Latoides tauros (ſi vera eſt fabula) pauit,*
Formoſúſque greges per ſiluas duxit Adonis:
Thyrſis oues pauit ; dum Thyrſis paſceret illas,
Nec Thyrſin Phœbus, nec vicit pulcher Adonis.
AL. *Phœbus amat citharas: iucunda eſt buccina Marti:*
Mercurio placuit teſtudo, fiſtula Pani:
Thyrſi tibi calami. Calamos quia Thyrſis amaſti,
Et citharæ cedent calamis, & buccina Martis.
DOR. *Innocui cineres, & candida Thyrſidis oſſa,*
Terráque quæ viridi corpus ſub ceſpite condis,
Vnde meis toties gregibus medicina petita,
Et nos & Tuſcos defende à cladibus agnos.
ALEX. *Diuini manes, tuq́ue ignea Thyrſidis vmbra,*
Seu colis Elyſios amnes ſiluáſque piorum,
Seu cæli fulges inter nitidiſſima flammas,
Et nos & Tuſcos defende à cladibus agnos.

MEL. *Tale*

MEL. *Tale tuum nobis cultissime carmen Alexi,*
Tale tuum Doryla, quales cessantibus umbræ,
Gramina defessis, liquidi sitientibus amnes.
Verùm agite, & quoniam Thyrsis dignissimus arâ,
Aram illi erigite, atque aræ superaddite carmen:

THYRSIS honos siluæ, Superûm noua gloria Thyrsis,
Quas seruauit oues, alto nunc seruet ab axe.

DOR. *Ergo inter ruris Diuos assuesce uocari;*
Atque bonus, felixq́ue ueni, mitissime Thyrsi:
Ipse ego terna tibi florentia serta quotannis
Liliaque hîc statuam quæ multùm uiuus amasti.

ALEX. *Ut Fauno, Paniq́ue, tibi sic lætus Alexis*
Aut agno faciet, uel sparsi munere lactis;
Et quascumque nouus fruges mihi fuderit annus,
Primitias supplex solemni munere ponam.

DOR. *Surgent in nostris tibi plurima signa sacellis:*
Dumq́ue polus Phœbum, radios dum Phœbus habebit,
Aëra dum uolucres sulcabunt, æquora pisces,
Silua tibi carmen, fundet tibi Tuscia flores.

ALEX. *Inscribêre meis pulcherrima cura medullis:*
Dumq́ue leget flores, & mel Apis aurea condet,
Aurea Apis, tibi quæ Diuûm decreuit honores,
Et studio & nostro semper celebrabere cantu.

PORTA SANCTA
APERTA ET CLAVSA
ANNO SALVTIS M. DC. XXV.


AELVM per mille vias aditusque totidem tentanti, hæc occurrit porta; quâ vt compendiosiùs, ſic ſecuriùs ad Superos itur. Ideò ſancta audit, quia ſanctos facit, & ad Sanctos ducit. Non aperiretur, niſi ad cælum duceret: nec duceret, niſi ſancta eſſet. Vis dicam vnde ſancta? Sanguinem & merita Chriſti ſeruat, graues prorſum cauſſas ſanctitatis. Opes Deiparæ habet, & Sanctorum virtutes tibi obtinendas, tibi imitandas. Obtinere non potes, niſi fueris imitatus: imitando, ſanctitatem paras. Atenim eam pandunt Romani Pontifices, vt ſit publica mortalium gaza. Eò confluunt iuſti, iniuſti; pares mox futuri. Hinc deſumunt vnde nomina Deo expediant: magna, parua, penſi non eſt. Nemo ſumentes increpat: ideò in propatulo opes, cupientibus, ſed integris, auferendæ. Hanc portam munificâ manu aperuit VRBANVS, ſiue vt ſanctimoniam in terras immitteret, ſiue vt homines in cælum admitteret. Qui tum in Vrbe ex omni orbe concurſus? Vitæ porta, Romæ patere putabatur. Romam omnes adibant, ceu cælum petituri. viam certè ſibi ad cælum inde muniebant.

Venêre

Venêre Principes viri, dignitate neſcias an Religione auguſtiores: venientes excepit VRBANVS vrbanè. & Ferdinando quidem Hetruriæ Duci Roſam auream, Ladiſlao Principi Poloniæ expreſſum in ſindone CHRISTI vultum oſculandum, Leopoldo Auſtriaco ſacra munera ſacri amoris monumenta dedit. Ceterùm VRBANVS ipſe quantum dignitate, tantum aliis exemplo præluxit. Nunc Vrbis templa obire, iam adire xenodochia, ad pauperum ſe pedes abiicere, contrectare, lauare; vt qui ſummus omnium erat, infimus videretur. Diſce, quiſquis es, demiſſionem in piis muniis ſequi: erubeſcendum non eſſe, quod VRBANI exemplo ſuſceperis.

SILVA III.

Fatalis templi ſublimi è limine Ianus
Arbiter & belli, pacis & auctor erat.
Cede bifrons PETRO; *ferrati cedite poſtes:*
Portæ Roma nouæ ſanctius omen habet.
Eſt ingens CHRISTI *è meritis & Sanguine gaza,*
Fortunatarum ſanctus aceruus opum.
Bethlemia hîc pueri cunabula, donáque primi
Sanguinis, & Phariæ cura laborque fugæ.
Hîc vota atque preces; per quas, dum vita manebat,
Frangebat læſi tela triſulca Patris.
Sanguinis hîc currunt pretioſo flumine riui,
Quos cor, quos palmæ, quoſque dedere pedes.

Hîc quoque victrici ſurgis Crux inclyta ligno,
Crux Erebi terror, Crux medicina ſoli.
Virginis hîc longi gemitus lacrymæque ſuperſunt.
O lacrymæ noſtris gaudia certa malis!
Hîc gladios videas, igneſque, & ſpicula, per quæ
Purpurei pugiles ſuccubuere neci.
Virtuti nullus fructus perit: ocyùs illum
Noſtris hîc Numen vult ſupereſſe lucris.
Dum licet, hinc vitiis auferte piacula gentes:
Quæ poſt fata manent, igne pianda manent.
Præcipitate moras; vrget Deus: ipſáque gaza
Quæ data Romano diſtribuenda Patri.
Ille tenet claues; & diuitis arbiter auri,
Sæpè aperit ſanctas, ſæpè miniſtrat opes.
Sumite paciferæ cæleſtia munera portæ.
Non tardè, vt quondam, porta patere ſolet.
Non vobis current bis denis ſæcula luſtris:
Poſt quintum luſtrum limen adite; licet.
Aurea tum toto voluuntur flumina mundo,
Diuitiiſque poli læta niteſcit humus.
Tum ſcelus eluitur, tunc atrox pœna flagellum
Abijcit, & victâ porrigit arma manu.
Rarior inferno deſcendit victima Diti,
Vltoréſque rogos lenior ira mouet.
Ipſa ſuas dolet Alecto langueſcere tædas;
Atque, Mei, clamat, quò furor ignis abit?
Cedite, dum PETRI *patuerunt limina, Diræ;*
Cedite, ſecuro hîc cuilibet eſſe datur.

Seu

Seu quis ab occasu, seu quis festinat ab ortu,
Hic scelerum veniam vesper & ortus habet.
Inuenit hic Virtus præclaris præmia factis,
Culpæ hic noxarum mite piamen adest.
Cælestes gazæ, magnique opulentia PETRI!
Quàm patet hæc nostris porta secunda malis?
Quales diuitias nobis VRBANE *dedisti,*
Cùm primùm manibus est adaperta tuis?
Non ita cùm cæli postes Aurora reclusit,
Titanis radiis tota relucet humus.
Non ita cùm diti surgit Pactolus ab alueo,
Lydorum auriferis per sata currit aquis.
Ibant per mediam rutilantia flumina Romam,
Gratiaque auratis vecta nitebat aquis.
Illius aspectu mutabant crimina formam:
Tam faciles caussas integritatis habet.
Vidisses toto maculosas corpore tigres
Et genium & niueæ sumere vellus ouis.
Vidisses Cypriis ardentes ignibus hircos
Ignem auersari, nequitiamque suam.
Hic malè congestum abiecit benè prodigus aurum,
Et vitio diues noluit esse suo.
Ille ferox erat, hic tumidus; sed munere Diuæ
Nec manet hic tumidus, nec manet ille ferox.
Quidquid adumbrarant veterum mendacia vatum,
Historia hoc veniæ tempore vera fuit.
Informes lapides hominum cepere figuram,
Nec iacti manibus Deucalionis erant.

Illa tua, illa fuit, Regina, potentia, duro
De saxo mites fingere docta viros.
Fecisti meritum de crimine: pœnaque per te
Palmæ materies, atque corona fuit.
Diceris & cæcas sceleris caligine mentes
Criminibus pulsis restituisse Deo.
Per te, qui in cœno fœdique suesque iacebant,
Nec fœdi in cœno, nec iacuere sues.

Intellige relapsos, vt distinguas ab impudicis; de quibus suprà.

Mira fides. cæli pretium scelera ipsa fuerunt,
Dum fiunt odio, fœdaque vita grauis.
Nunc age, quæ fuerit venientum turba, quis Vrbis
Splendor, quæ pietas, carmine Musa refer.
Macte, licet plectro res sit grauiore sonanda,
Quis vetet imparibus magna referre modis?
Fallor? an illa mihi præsigni in imagine Romam
Exhibet, & radio cuncta docere parat.
Seu vera est, seu falsa oculis subiecta tabella,
Musa mihi haud falsâ talia voce canit:
Hîc pulchro apposita est vbi porticus aurea templo,
VRBANI *patuit Ianua rupta manu.*
Hîc stetit ante fores sparsis Metanœa capillis,
Nec sparsæ tristem dedecuêre comæ.
Quos non hîc fletus, quæ non suspiria traxit?
Quàm fuit in pœnas ingeniosa suas?
Sæpè manu, aut duro pulsauit pectora saxo,
Vllum ne posset corde latere nefas.
Sæpè sua intorto lacerauit terga flagello;
Et, Scelerum, dixit, excutiemus onus.

Dumque

Dumque subire parat casti penetralia templi,
Restitit, ac multo victa pudore redit.
Tum diffisa animis, sua sic in limine fleuit
Vulnera, Romuleo mox medicanda Patri:
Innocuæ sedes, magniq́ue sacraria PETRI,
Portaq́ue flagitiis spes data sola meis;
O vtinam in lacrymas hîc tota repentè liquescam,
Dum scelus his pensem vel fugiam lacrymis!
Turpes illecebræ, & mundi fallacis inane,
Et valeat probro noxa superba meo.
Infelix, vitiis potui violare Tonantem.
Vltima sit vitiis hæc precor hora meis.
Nil vos astra moror: mutate, aut tollite sontem.
Nec valeo sordes, nec mea probra pati.
Obruat ingratam Diuûm Pater; obruat Orcus:
Mors miseræ in pœnas non facit vna satis.
Tollenda impietas, tollenda superbia mecum,
Quæq́ue graui mentem vulnere lingua ferit.
Vos quoque tollendæ molles, mea crimina, flammæ.
Hei mihi quanta breui pectore monstra gero!
Isset adhuc in verba dolor: sed multa gementes
VRBANVS *vetuit longiùs ire preces.*
Pone modum lacrymis: si te tua crimina versant,
Criminibus fiet nunc medicina tuis.
Magna tibi ad vitam cupienti accedere porta.
Accedas: vitiis plus patet illa tuis.
Iam meus est, quicumque potest peccasse fateri.
Sinceros culpâ, culpa professa facit.

Culpam vbi damnaſti, poſuit Deus immemor iram.
Difficiles motus non capit ira Patris.
Cùm ſcelus elueris, Patris cùm fregeris iram,
Patris in amplexus iam Metanœa redi.
Subſtitit hîc, Dominoque dedit præconia miti.
Dein tales fudit voce Thaleia modos:
Cetera vt aduertas, ego te per ſingula ducam:
Singula tu memori condita mente tene.
Illa vides vaſtâ miranda palatia mole?
Hîc domus VRBANI, *Pontificumque lares.*
Huc Ladiſlaus glaciali venit ab Arcto
Inclyta ad Auſonios ponere ſceptra pedes.
Nec minùs VRBANVS *tectis accepit in amplis*
Inſignem palmis & pietate Ducem.
Quis fuit ille dies, quis, Ladiſlae, cruenta
Cùm CHRISTI *data ſunt ora colenda tibi?*
Dumque illâ tumidi Thracis quâ caſtra fugaſti,
Diuûm attrectaſti pignora ſancta manu?
Credo equidem, ſtellatum animis elatus in orbem
Fingebas toti vota probanda polo.
Hîc etiam Tuſcæ moderator maximus aulæ
Auricomam cepit, regia dona, Roſam.
Te quoque viderunt taciti, Leopolde, Quirites
Auſtriacam VRBANO *ritè dicare fidem.*
Quàm pius adfueras, tam Româ lætus abiſti,
Diuinæ referens pignora amicitiæ.
Hæc propè quæ ſolidis ſedet arx pulcherrima muris,
Nunc honor VRBANI *eſt : Ælius antè fuit.*

Hîc

Hîc festi ardebant ignes; multusque tonabat,
Qualis consueuit fulminis esse fragor.
E tot Delubris, quæ cernis sparsa per Vrbem,
Septem, ex more, operi sacra fuêre pio.
Iam se infundebat Laterano, iamque MARIAE
Intrabat populi mobilis vnda domum.
O quali quantoque illic splendore sacella,
Seu tua Sixte pater, seu tua Paule nitent!
Hi posita extra Vrbem celeres Delubra petebant,
Quæ pugil Hesperius, quæque Sebastus habet.
Mirandus cultor cunctas properauit ad aras,
A populo VRBANVS *dignus & ipse coli.*
Iam mendicorum penetralia lætus adibat,
Paupere nec renuit sub lare ferre gradum.
Hîc illum vidi partes descendere ad imas,
Atque inopum tepido fonte lauare pedes.
Quid facis ô Princeps? quid sordida munera tractas?
Tam vilis sanctas non decet vnda manus.
Non illum sordes, non illum verba morantur:
Sic me, inquit, dignum fingere disco Deo.
Dignus es Æthereis templis, dignusque Tonante:
Tamque Tibi abiecto terra polusque subest.
Cetera quid numeris includam? Vrbs tota Quirini
Vnum Delubrum totius Orbis erat.
Illa fuit Romæ facies, hæc gloria templi;
Donec, quâ patuit, ianua clausa manu est.
Dixit, & ex oculis tenues effugit in auras.
Sit mihi, sit populis inde petita salus.

HYMNI SANCTI RESTITVTI ET DIVINARVM PRECVM BREVIARIVM RECOGNITVM.



QVI ſplendorem templorum tot auxit monumentis, in diuinis etiam cantibus maieſtatem amauit. Vtque ædes vetuſtate lapſantes reſtituit, ſic Hymnos temporum vitio incultos ad puri carminis elegantiam vocauit: & eo quidem ſucceſſu, vt pro vitiis concinnitatem, pro neglectu cultum, decorem pro deformitate habeant. Voluit, opinor, Vrbaniſſimus Pontifex ſacrum melos Baſilicarum magnificentiam ſuo nitore æmulari. Voluit vt Deum inibi ſplendidè habitantem, non concentu tantùm modulato, ſicut olim, ſed verbis etiam ſplendidis (quod eius inuentum eſt) coleremus. Ita venuſtatis vt ſanctimoniæ parens, dum barbariem amolitur, ſanctitudinem effecit amœniorem.

ECLOGA.

MNASYLVS, MYRTILVS.

MNA. *MYrtile tu denſæ proiectus in arboris vmbrâ*
Argutâ ſacram meditaris arundine muſam:
Nos veteres Mopſi numeros, antiquaque Mœris

Car-

Carmina per ſiluas calamo modulamur inani:
Tu Melibœi artes, concinnaque verba profeſſus
Thyrſidis, inſolitâ ducis dulcedine mentes.
MYR. *O Mnaſyle, Dei, non carmina Thyrſidis audis:*
Quique iubet plenis nos illa referre cicutis,
Semper erit Deus ille mihi : ſolemnia ſemper
Illi pro tanto reddemus munere vota.
MNAS. *Nulla equidem inuidia eſt : lætor magis vndique totæ*
Reſpondent ſiluæ : & ſi numquam fallitis aures,
Montibus in noſtris nullos reſonaſſe fatebor
Tam dulces calamos : nobis ingloria pendet
Fiſtula de collo, numeri nec verba ſequuntur:
Et ſi quid cantare libet, vox abſona ſæpè
Deficit : hoc etiam vitio nunc muta cicuta.
Quis tamen iſte Deus ? quid mandat Myrtile vobis ?
MYR. *Agnos qui paſtor Tyberina ad flumina ſeruat,*
Cùm malè compactam ſacrorum ſciret auenam;
Purior vt Diuûm cantus ferretur ad aures,
Coniunxit calamos cerâ meliore, nouisque
Reſtituit ſolers paſtorum carmina verbis.
Atque vt non dubiè, qui ſit, cognoſcere poſſis;
Hic ille eſt, quem magna Pales numenque Lycæi
Seruando pecorum generi poſuere magiſtrum.
Illius triplici frons eſt redimita coronâ,
Atque pedum manibus geſtat quo flectit Olympum.
Huic baculo magni gaudent ſe ſubdere Reges:

Illum Tartareus metuit lupus; Orbis adorat:
Eius & auspiciis securi viuitis agni.

MNAS. *Nempe illum dicis, cui maxima nomina fecit*
Barbaries superata; sacro quem fulgida semper
Mellificarum Apium circumuolat agmine turba:
Per quem pax agris, & mellea sæcula currunt.
O quantum illius debent sacra nostra labori!

MYR. *Non segetes solis radiis, non gramina tantum*
Fluminibus debent, nec primis vocibus Echo;
Echo quæ muta est, nisi verba aliena sequatur:
Nos muti simus, nisi nobis ille præisset;
Certè incompositis traheremus carmina verbis.
Sancte ouium custos, rosei cùm solis in ortu
Ducemus teneras per rorida rura capellas,
Hos stipulâ agresti cantus imitabimur; & cùm
Vespere iam saturæ repetent præsepia vaccæ,
His quoque claudemus fugientis gaudia lucis.
Tum Superûm fastis veniet quicumque colendus,
Hinc titulos illi proprij sumemus honoris.
Hæc mihi semper erunt, seu cùm penetrabile frigus
Et brumam mundo, & felix Natale reducet
Æterni Pueri; seu cùm iam vere renato
Illius interitum plorabimus, aut vbi victo
Surgentem è tumulo, subeuntemque astra colemus;
Seu festo quocumque sacrum sibi vendicet annum,
Hæc mihi semper erunt, & te venerabor in illis.

MNAS. *Fortunata Pales, tandem tua fistula dignum*
Cælicolis carmen magnis habet. Ite bubulci,

Ite

Ite magiſtri ouium, iucundos diſcite verſus:
Hos altâ ſub rupe canat frondator ad auras
Tityrus in ſiluis, geminet per rura Menalcas,
Naiades in fluuiis, per prata herboſa Napææ:
Hos Satyris narret maturæ vinitor vuæ.
MYR. Sacra ego ſollicitâ conabor arundine verba,
Nec iam Orphei tangéntve Lini me carmina, quamuis
Orpheo Calliopeia, Lino dictarit Apollo.
Verſibus his Zephyri ponent, auritaque ſilua
Attonitas in plana volet dimittere quercus;
Manſueſcent tigres, placabitur ira leonum,
Et lupus in medios veniet iam lenior agnos.
MNAS. Antè ſeges ſterili ſine ſemine ſurget in aruo,
Et fontem repetent conuerſis flumina riuis;
Antè interrupto communi fœdere rerum
Bruma feret fruges, niue contriſtabitur æſtas,
Quàm mea tam cultos non cantet fiſtula verſus.
Ire libet, prædulce melos frondoſa per arua
Dicere, tamquam hæc ſit reparandæ induſtria vocis.
MYR. Hîc tamen hunc æſtum mecum fuge: ſancta viciſſim
Carmina dicemus. viridanti in cortice fagi
Plurima deſcripſi. mecum experiere quod optas.
Et iam ſol medij ſpatium percurrit Olympi,
Paſtoresque æſtum cantu ſolantur in vmbrâ.

DIVA

DIVA ELISABETHA LVSITANIÆ REGINA DIVORVM ORDINIBVS ADSCRIPTA.



SOLITVDINI tantùm sanctitatem nemo adiudicarit. In aulâ (& quid illâ tam alienum à sanctimoniâ reputatur?) in aulâ tamen fulgent pietatis laude multi: hoc sæpè clariùs, quo in illis fluctibus quàm in quiete, in affluentiâ quàm in egestate, sibi imperare operosius est. Inde nobis ELISABETHAM dedit Hispania, Regum Filiam, Coniugem, Matrem: quodque his regalius est, Numinis famulam. Quam ideò natam iure credideris, vt ostenderet Deus, quid in summâ fortunâ posset sanctitudo, quid in sanctitudine summa fortuna. Sic Aulæ & Marito vixit, vt se Reginam & Sponsam sciret. Sic Reginam & Sponsam exuit, ceu Virtuti ac Deo viueret. Ita vsa est purpurâ, quasi tesseram gestaret illius seruitutis quam CHRISTO vouerat, non regiam notam. Mulier in regno, regno maior, quia contemptrix: in honoribus demissionis studiosa, ideò dignior: inops inter opes, vel in id tantùm opulenta, vt egenorum inopiam ditaret. Animo fuit in omnes miti, seuero in se; idcircò amans sui maximè, quia maxima hostis. His virtutibus Leo X. singulare primùm Festum

Festum indixit. Sed Festi magnitudinem nonnihil imminuebat, quòd in Conimbricensi tantùm Diœcesi celebrandum. Insecuti Pontifices gloriæ eius limites angustiores rati, colendam dederunt toti Lusitaniæ; Patronam clientibus, subditis Dominam. Ne quid demum venerationis deesset tantis meritis, VRBANVS Sanctorum honores ELISABETHAE tribuit, vt à Christiani nominis gentibus coleretur. Quæ & digna fuerat omnibus imperare, & iam digna, quam omnes imitentur.

SILVA V.

Coniux, progenies, parensque Regum,
Iberæ decus ISABELLA *gentis,*
Iberi decus ISABELLA *Regni,*
Quæ sceptrum, soliumque, purpuramque,
Et luxus & opes potentis aulæ
Vicisti meritis; nouoque castas
Auges sidere Cælitum cateruas;
Plena munera sume nunc honorum:
Nunc Regnis trabeisque maior, ipsos
Inter Diua nite serena Diuos.
Hinc si te vllus amor mouet tuorum,
Et te credibile est eo moueri,
Lucem funde tuis serena Iberis,
Lucem funde tuo fauens PHILIPPO.
Instar Solis enim tuus refulget

Æternâ Superorum in arce vultus:
Hinc te fundere, Diua, iam necesse est
Felices radios & huic & illis.
Illâ te decet adiuuare ab arce
Tuos Lysiadas, tuum PHILIPPVM.
Vt inter pelagi furentis æstus,
Cæli inter tenebras, & inter imbres,
Luctantisque sonora bella venti,
Lucem nauita, molliusque poscit
Fretum: sic variis malis fatiscens
Orbis te colit & vocat Patronam.
Ægri tuti etenim tuum sepulchrum
Accedunt, redeuntque restituti.
Hîc qui dudum oculis vtrisque captus
Longâ in nocte animam miser trahebat,
Iam per te sibi, redditurque luci.
Queis sors abstulerat mouere gressum,
Appenso tibi Diua scipione
Hinc firmi redeunt, mouentque gressum.
Ille linguâ erat impeditiore;
At linguam citò nactus expeditam,
Iuit in Domini tuasque laudes.
Hîc quicumque olei sacri liquore
Morbos, vulnera, pustulas perungit,
Morbi, vulnera, pustulæque cessant.
Hîc quicumque olei sacri liquorem
Herniæ allinit, allinitque pesti,
Ponit hernia, ponit atra pestis.

Quis

Quis letum paueat, quis imminentum
Morborum aspera, te fugante morbos?
Ad te cuncti oculos manusque tollunt:
Te mixtæ pueris colunt puellæ:
Te mixti senibus colunt puelli:
Te Reges, populique, Principesque,
Cuncta Hispania, cuncta terra adorat.
Iberæ decus ISABELLA *gentis,*
Iberi iubar ISABELLA *Regni,*
Et nouum iubar ISABELLA *cæli,*
Cuncti imaginibus tuis minores
Genu aduoluimur: vrimusque cuncti
Aris thura tuis, tuumque nomen
Miscemus Superis. Tibi superba
Patronæ, Dominæque, Lusitani
Ponunt templa. Viden sacro vt sepulchro
Et dona, & tabulas, opesque figunt,
Qui iam semianimes & imbecilli
Debent, quòd superant, tuo fauori;
Tuo, quòd superant, vouent honori?
Longam pacem vtinam tuis Iberis
Præstes ô Bona Diua. Longa dones
Vitæ tempora Romulo Parenti:
Hoc & sole nouo ferente lucem,
Hoc & nocte vagum exigente solem,
Omnes poscimus; ISABELLA *præstes.*

IAPONES PRO FIDE VEXATOS VRBANVS SOLATVR.

MOLLE non eſt Chriſtianæ militiæ tyrocinium. eadem hodierni rudimenti, quæ illius veteris experimenta : in vincula rapi, cædi, & flammis aduri. Vix olim ſacra ſigna extulerat ; & iam alieno Tyrannorum furore, ecquid animi haberet dæmon, experiebatur. Iam ardebat eam in ipſis primis conatibus perdere, cuius ſe victoriis ſciebat debitum, metuebat triumphandum. Commodùm Iaponibus affulſit Fides. Imminent vndique Nerones noui : Toni, Cubi, Minaminobi, hoſtes vel ipſo nomine formidandi. Sed quid ? vt in ſeminibus attrita quædam vberiùs pullulant; ſic in populo Chriſtiano fecundiores fiunt à Tyrannis vexati. Martyrum ſanguine perfuſa olim Eccleſia, Orbem ex infideli fecit Chriſtianum ; prorſum vt alij homines, alius mundus, Cælum quoque ipſum purius beniguiuſque videretur. Quid futurum eſt Iaponenſi Eccleſiæ , quæ tot quotidie cladibus laceratur ? Bonum omen, Iaponia: cruor hic, ſemen eſt populi numeroſioris : ſic cædi, creſcere eſt. Habes conſolatorias VRBANI literas : lege, vt facis, relege ; ſcies per hæc damna fecunditatem parari.

ECLO-

ECLOGA.

NISA, ARCAS.

POETA.

Oppreſſi pecoris lugebat Niſa ruinam,
Niſa inter Iaponum meritis celeberrima Nymphas:
Sed nil, quo triſte excidium penſaret, habebat.
Tantùm deſertos, horrenda cubilia, montes
Sollicitè ſeruabat : ibi hoc miſerabile carmen
Rupibus & ſiluis planctu geminabat inani.

NISA. *O pecus infelix, quanto in diſcrimine rerum es?*
Quot pateris ſtrages? Ah ne tollaris ad vnum!
Nunc etiam ſiluas claudunt & rura leones:
Nunc atrox etiam circumſtat ouilia prædo,
Et lupus inſidias ſtruit vndique; iamque per omnes
Atrox flamma furit caulas, communia iamque
Paſtoresque pecusque trahunt mala. Nec mea Diui
Vulnera reſpicitis, nec vis inimica remittit.
Nónne fuit ſatius ſemel vno occumbere leto,
Quàm tot quotidie ſperare patique dolores?
Sæpè greges ſtudeo per opaca abſcondere ſiluæ:
Semper eos tigres ſiluæ per opaca ſequuntur.
Mille meæ errabant per rura Meacia capræ;
Mille Iapan tauros, Cangoxima mille videbat:
Nunc raræ in campis capræ, rarique iuuenci;
Dira Meaco capras ſtrauit, Cangoxima tauros.
In pecorum occaſu, quamquam me cura fatiget

Plurima, non pro illis capio tot mente dolores,
Quàm funesta super pastorum funera, quamque,
Ne mea (vos Superi testes, & sidera Nymphæ)
Relligio pereat sacris priuata magistris.
Triste recèns natos conuelli ex arbore fetus:
Tristius est matrem ramorum à stirpe reuelli.
Dura gregis cædes, caularum incendia dura:
Durius est pecorum spoliari luce magistros.
Vidi ego Damonem, cum Bætigenâ Melibœo,
Magnum vtrumque animis, cùm se hosti offerret vterque,
Vtrumque atroci vitam posuisse sub hoste.
Damonem ingenti superarat vulnere tigris:
Te quoque raptabant vrsi Melibœe furentes.
Et cùm clamarem, Si spes præscinditur omnis,
Si miseri orbantur fidis custodibus agni,
Custodes vos saltem alios huc mittite Diui;
Clamantis iugulum diri petiere leones.
Vrit adhuc ingens plagæ dolor, & cruor ipse
In gremium nondum obducto de vulnere manat.
Felices bis terque greges, qui tuta per arua,
Arguto gracilem pastore inflante cicutam,
Virgulta & læto tondetis pascua morsu.
Non lupus insidias vobis, non horridus ignis
Molitur mortem. procul est à finibus hostis.
Ast ego letiferæ mœrens telluris in oris,
Tot curas, tot alo turbatæ vulnera mentis,
Quot siluæ pariunt frondes, quot gramina campi.

Hei

Hei mihi, ſed frondes ſiluis, ſed gramina campis
Sunt decori; premit aſſiduo me cura dolore.
Si probat hoc Numen; nec habet ſors dura regreſſum;
Ite boues, ſtrictæ ſubmittite colla ſecuri:
Ite ſimul teneri miſeris cum matribus agni,
Ingluuiem ſæuorum vltrò exſaturate luporum:
Vos veſtra interitu non lento Niſa ſequetur.
Sin negat, & flentis mors lumina claudere ſpernit,
Certum eſt in ſcopulis inter ſpelæa ferarum
Malle pati, liquidiſque meos adiungere fletus
Fontibus: augeſcent illi; dolor auctior ibis.
Talia iactantem nec opinus præuenit Arcas,
Arcas paſtorum ſanctiſſimus, atque ita fatur:
ARCAS. *Vt lateas, iam cauſſa tui celeberrima fletus,*
Niſa; nec has ſolùm rupes nec ſaxa querelis
Incendis: totum vulgauit fama per orbem,
Hîc vacuo quæ tu quereris deſerta ſub antro;
Quin vt merſa malis, ſic lamentabilis audis.
Pone metum, feret hæc aliquam iactatio pacem.
Aſpice pugnantes vicino in littore fluctus,
Bella æterna putes: non longum tempus, & omnes
Stridentes ponent auræ, pontuſque reſidet.
Vertice prærupto ſurgentem hanc aſpice rupem:
Fulminis haud ſemper flammis pulſatur, & imbri;
Quondam etiam placidi recreatur lumine ſolis.
Non aliter, luctuſque tuos, ſtrageḿque tuorum,
Et melius fatum & melior fortuna reuiſet.
Cælicolùm mos eſt, damnis & clade probare

Quos

Quos socios fortesque volunt. Cui prospera longùm
Sors ridet, fluit in vitium, rebusque secundis
Soluitur. Assurgit per dura, per aspera Virtus.
Sic quondam Europæ formosa Amaryllis in oris,
Delia sic damnis, sic Phyllis candida creuit:
Sic cresces Nisa; & caussas & semina vitæ
Inuenies leto (quod numquam reris) in ipso.
Læta seges fiunt quæ terræ semina credis.
Ilex ducit opes mordaci è vulnere ferri.
Post hiemes aliis operitur frondibus arbor.
Plures oppressæ sunt Relligionis alumni.
Pastores pereant: Pastorum sanguis, opimæ
Vbertatis erit semen; gregibusque necatis
Sufficiet Pan gentem aliam similesque magistros.
Dixerat: atque animis paulatim Nisa resumptis,
Afflictis ausa est rebus sperare salutem.

IAPONIÆ MARTYRES PALMIS DONATI.



IAPONENSIS Ecclesiæ desolationem exhibuimus. Age nunc, vt læta tristibus suâ vice succedant, lauros & palmas eius ostendamus. Careret coronis Iaponia, nisi strages illas accepisset: quia tulit, vicit; & ideò lauru coronata. In arenâ Fidei mortui, victores proclamantur; triumphant interempti. Superûm fides! quale victoriæ genus, vinci, vt

vt vincas; cædi, vt viuas; vt gloriam aſſequaris, ignominiam pati? Neſcis veſana Barbaries, neſcis quàm honorifica ſit mors pro CHRISTO tolerata. Homines tollere voluiſti, Diuos feciſti; infra mortuos amandare, adorandos orbi Victores dediſti. Vos adumbro inuicti Athletæ, te MICHI, te GOTHO, voſque qui è FRANCISCI & IGNATII inclytâ familiâ, inclyti ipſi Tonorum Cuborumque rabiem domuiſtis. Vincula iniecta ſunt vobis: baltea erant militiæ veſtræ. Haſtis transfixi eſtis: viam vobis illis vulneribus in cælum feciſtis. Cruces veſtræ fuerunt pro triumphali curru, quo ad Superos perduceremini. Iaponum crudelitate trucidati, viuetis VRBANI beneficio: & hæc ignominia quam in orbis angulo pertuliſtis, æternam vobis toto orbe famam comparabit.

SILVA VII.

PRinceps aſtrorum, flammæque volubilis orbis,
Quas ſolitis vicibus naſcique moríque videmus,
Cedite: non vnæ de morte reditis in ortum,
Nec ſolis cecidiſſe lucrum eſt. Sic miles Olympi
Et Fidei cadit; horrendæ ſic mortis ab vmbris
Emicat ad vitam, proprioque effulget in oſtro,
Quæſitis palmis & Diuûm luce coruſcus.
Atque adeò vt veſtros ortuſque obituſque ſciatis
Cedere; Palmiferi pugiles, ferrum inter & ignes,
Quidquid ſternendum eſt, ſubigunt: vbi parta corona,

Armorum labor omnis, & omnia bella residunt.
Vos stare indociles, sine palmâ & laude triumphi
Occiditis; cursumque labore iteratis inani.
Qui Iaponum vicere cruces, Iaponumque Tyrannos,
Historia attonitis fiunt celeberrima terris,
Et famam è crucibus, vitam de morte reportant.
Heroas sanctos infelix arbor habebat:
Subtus imago necis. verùm non segniùs illi
Cælicolûm Regem, Romanaque sacra professi,
Hoc ergo est, Iapones, quòd nos per iniqua per æqua
Ducitis, vt celsâ perimatis in arbore vinctos,
Clamabant. Minimum est perituram impendere vitam,
Quam tot nominibus Domino debemus Olympi.
Ille suo pulchrum descripsit Sanguine callem,
Exemploque vocat. Sequimur, quacumque præisti,
Et quocumque vocas, Rex inclyte. Suffice vires
Te dignas, crucibusque: polus, mors, Crux tua, in ipsis
Omnia sunt oculis. Norit nunc orbis Eous,
Nos vitam intrepidos pro te letumque pacisci.
Nulla mora est: ferrum figant, vtcumque libebit,
Lictores; hastis nudi ferroque patemus.
Est animus nobis vitæ contemptor, & istum
Qui leto benè credat emi quò tendimus orbem.
O hastæ! ô cæli Crux pignus, & inclyta Diuûm
Tessera! Dum sese pariter firmantque probantque,
Impauidique inhiant morti, appellantque Tonantem;
Sub cruce cum longis stans miles barbarus hastis,
Hinc atque hinc ferrum transuersim in viscera mergit.
Con-

Continuò patefacta ruit per vulnera torrens
Purpureus : largo maculantur sanguine campi.
Illi ceruicem moribundi in colla reclinant;
Qualia præcipiti percussa papauera nimbo,
Et calycem læsis demittunt lilia truncis.
Intereà CHRISTVM *vox ipsa, & frigida lingua*
Custodem CHRISTVM *vitâ fugiente vocabat.*
CHRISTVM *vicini referebant vndique colles.*
Hæc finis pugilum magnorum. Huc Numinis illos
Egit amor, sceleri obsequium Xacæque negantes
Thura, tot heu frustrà meritisque actisque decoros,
Tot dignos annis! Stant lugubri in arbore trunci,
Relliquiæ tortorum, onus execrabile plebi.
At non illa diu cæsorum obduxit honorem
Nox ignominiæ: nec enim sub nube tenentur
Astra diu ; erumpunt, puràque in luce refulgent
Exempti tenebris. Mortis ludibria magni
Excußêre Duces. noua gloria cuique, fugato
Dedecore, affusa est. sic cœno lectus ab atro
Detersis adamas maculis pretiosiùs ardet,
Fitque manus decus, aut Regalis bacca coronæ.
Est in stellato mundo locus: area campos
Apperit ingentes, ibi lilia mille per herbam,
Mille croci, spinisque rosaria nescia florent
Assiduò : rubro labuntur gurgite riui,
Quos circum virides texunt vmbracula palmæ:
Camporum in medio lauri nemus ; vnde corollas
Purpureis carpit præpes Victoria turmis.

Hîc in celsum arbos quæuis aptata trophæum
Hostiles habet exuuias, fulgentiáque arma,
Arma triumphatis duce CHRISTO erepta tyrannis.
Hîc longo videas superatos ordine Reges,
Qui quondam in terris, dum vita iræque calebant,
Aggressi nomen populumque abolere piorum.
Hinc fracti pendent gladijque crucesque Neronis,
Hinc Domitî equulei, Traianique aspera tela,
Extinctæque faces Decij, frameæque Seueri.
Parte aliâ vrsorum rictus, versósque iugales,
Detractasque lupis pelles, hinc fixa leonum
Tergora suspicias, illinc immania saxa,
Quadrigasque, rotasque, & mortis spicula mille,
Præmia nunc, olim crudelibus horrida pœnis.
Huc victrix alacri tendebat turba volatu;
Quam procul vt summâ Victoria vidit ab arce,
Sponte suâ occurrit, misitque has pectore voces:
Iaponiis animosa phalanx exercita bellis,
Vt te victricem regis populique cruenti
Accipio amplectorque libens! vt amœna roseta
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas
Pando hilaris! viden vt luco iam laurus in omni
Et plecti in clarum capitis decus, atque superbis
Ornari feruet spoliis? Tibi lucis in aulâ
Purpureus latè plaudit, sociamque laborum
Ad similes palmas ordo vocat. Eia age campos
Læta subi, magni pugnasti bella Tonantis.
Sat pugnæ cladique datum. Si sidera morte

Acquiri

Acquiri poſſunt, morte hac quæſita fuêre.
Certa tibi palma eſt. vernat quoque debita multis,
Quos fera vel ferro flammíſve Iaponia tollet.
Nulla equidem regio in terris animoſior, ex quo
Romuleæ fidei ſacris Xauerius Indum
Imbuit. ô quantis Heroibus agnita cælo eſt,
Quotque probanda venit! Video Tonumque Cubumque,
Et Minaminobum triſtem miſcere procellam.
Inuoluêre Fides: Sacra turbidus auferet æſtus;
Cumque ſuis euerſa ruent altaria templis.
Bullatos pueros video, innuptasque puellas
Prætentâ vltrò morti præludere flammâ:
Tantum animi pietas vel primo accendet ab æuo.
Qui procul iſti autem, mediæ queis frontis in albo
Crux micat? Agnoſco pietatem, inſcriptaque vulgi
Ora, nec obſcurè Chriſtumque fidemque profeſſi.
Macte nouâ virtute. Fides hæc grata Tonanti.
Seri olim referent tam ſtrenua facta minores.
At qui fünerei clauduntur in æquore ſepti,
Pars dulcem fugiens patriam, dulcesque beatæ
Europæ fines, Iaponum deuenit in orbem,
Luſtratura feras diuino lumine gentes.
Hei mihi, dum cæli lucem crudelibus infert
Gentibus, heu mediis finiuit in ignibus æuum.
Háſne Iapon grates tanto pro munere reddis?
Barbarie pars in mediâ, Iaponumque ſub axem
Nata quidem: ſed enim cuncti meliora ſecuti,
Exoſique Amydam, ſceleratáque ſacra parentum,

Proiecere animas veri pro nomine Patris.
Quin & Loiolidæ magni, magnique clientes
Francisci, quærent isto sub cardine mortem.
Felices vbicumque cadant: hinc quippe ferentur
In patriam, leto & longis erroribus acti.
Ille autem, ardenti quem vinctum in stipite lentæ
Absumunt flammæ, cui barbarus imminet ensis,
Spinola, quàm pulcher canis, quàm sanguine clarus,
Et virtute potens! Non illo blandiùs alter
Errantes populos ad PETRI *signa vocabit;*
Inclytus oppositi seu vim cùm franget Auerni,
Seu cùm Bungorum vesanas arguet artes.
Sed tua dum stimulos exempla nepotibus addunt,
Dumque tuæ crescit mortis seges, & cruor ardet,
Quæsitam meritis & leto sume coronam.
Dixit, & æternis præcinxit floribus omnes,
Omnes donauit palmâ, trabeâque nitenti.
At non Heroum soli laus cognita cælo,
Iam gemino VRBANI *iussu memorabilis axi est:*
Iamque omnis supplex illos Cangoxima, & Indus,
Omnis Roma, omnes votis venerantur Iberi.
O letum vitale, & amabile dedecus! orbem
Numine nunc implent, qui iam ludibria vulgi,
Tortorum modò ludus erant. Si vita caduca est,
Vt certè vsque cadit, quin palmam hanc quærimus vltrò
Intrepidi? forti mercemur sidera morte:
Mors vitalis erit. Verùm nil vota precésve

Pro-

Proficiunt. pauci quos æquus CHRISTVS *amauit,*
Et ſimul in partem regnique crucíſque vocauit:
Tam celebres ramos referunt extrema ſecuti.
Vos ite intereà per gentes, ite per aſtra
Victores: adaperta via eſt. Crux dura, quietis
Et famæ vobis gradus exſtitit; ipſáque cuſpis
Quæ vitæ & mundo vos abſtulit, addidit aſtris.
Viuite, & VRBANI *memores, patriæque gementis,*
Pacem illi, huic longos vitam concedite in annos.

DECRETVM
DE RESIDENTIA EPISCOPORVM IN DIOECESIBVS.



T externa Eccleſiæ ornamenta contuliſſe magnificum fuit; ſic diſciplinam, quâ vis eiuſque ſanctitudo continetur, firmaſſe diuinum. Diſciplinâ certè prolabente, neque vis Eccleſiæ ſtare, neque ſanctitas fulgere diu poteſt: his autem vel labefactatis, vel extinctis, quid iuuent externa? fruſtrà ornaueris templa corruptis hominum moribus. O Tua, VRBANE, diuina lex: Antiſtites à ſuis diœceſibus ne abſunto. Mores in praua fluere non poterunt, coërcentibus diſciplinæ magiſtris. Non poterunt irrepere vitia, cùm ea Præſules exemplo dictiſque amolientur. Ad hæc quanta

erit

erit ouium ſecuritas, cùm paſtorem habebunt aduigilantem? Neque naui, præſente gubernatore, neque Gregi malè eſſe poteſt, ſi Paſtor adſit: pabula ſubminiſtrat ouibus, ne fame contabeſcant; ſeptis claudit, ne licentiùs euagentur. Breuiter dixerim: Tanti greges, quanti Paſtores.

ECLOGA

PALES.

POſtquam paſtores conceſſa reuiſere rura,
Balantumque greges iuſſit ſeruare Palæmon,
Lætior atque hilari Nympharum cincta cateruâ
Talia verba Pales mediis fundebat in agris:
Paciferæ leges, tuque ô ter ſancte Palæmon,
Quàm iuſta affertis reparando commoda ruri?
Ergo alacres poſthac pecorúmque boúmque magiſtri
Paſcendis gregibus ſolertem impendite curam.
Vos quoque nec tutos dimiſſæ ſæpè per agros
Carpite oues lætum, ſecuræ carpite gramen.
Cuique gregi ſuus eſt paſtor: diſcrimina ceſſant.
Non lupus inſidias agnis, non vulnera poſthac
Vlla ferox capris meditabitur. Ecce ſonoro
Latratu inſequitur furéſque lupóſque lyciſca.
Carpite oues lætum, ſecuræ carpite gramen.
Nullus iam cuſtos alienus ouilia prodet:
Nullus bis pecudes vnâ mulgebit in horâ:
Nec ſucco matres, nec fetus lacte carebunt.

Quiſ-

Quiſquis eras, cuſtos aliene, irriſus abibis.
Carpite oues lætum, ſecuræ carpite gramen.
O gregibus benè parta ſalus! non vellera prædo
Innocui pecoris multo cum ſanguine carpet:
Non molles nixis auertet matribus agnos,
Aut pecus infirmum malè tutâ in valle relinquet.
Carpite oues lætum, ſecuræ carpite gramen.
Manè vbi rorantes ſol ſparget lumine campos,
Ibitis ad paſtum dominis ducentibus; & cùm
Lucidus occluſo veſper procedet Olympo,
Vos illi è paſtu plena ad præſepia ducent.
Carpite oues lætum, ſecuræ carpite gramen.
Si quo dira lues populetur ouilia morbo,
Audebunt primi caput obiectare periclis,
Pro gregibus primi certabunt fundere vitam:
Pacis erunt ijdem ſocij, ſocijque malorum.
Carpite oues lætum, ſecuræ carpite gramen.
Hæc ſuper æthereas leges, ouiumque magiſtros,
Et ſuper agnorum ſatis eſt ceciniſſe ſalutem:
Nunc magnum mecum celebrate Palæmona Nymphæ.
Mænalio dudum reſidens in monte Palæmon
Inuigilat paci ruris, rerumque quieti:
Inuigilet, longos regnetque beatus in annos.
Hoc duce pax ouibus noſtris, pax certa magiſtris.
Mecum omnes magnum celebrate Palæmona Nymphæ.
Riuus vt hîc ſalices, hîc molles educat herbas,
Populeas alibi ſtirpes: hîc irrigat alnos,

Hîc per prata fluit : ſic tu diuine Palæmon
Omnibus vnus ades, omniq́ue in gente laboras.
Mecum omnes magnum celebrate Palæmona Nymphæ.

Talis amor tuus eſt pecoríſque orbíſque fouendi,
Qualis ineſt agnæ, quæ natis aucta gemellis,
Per nemora & virides comitatur vtrumque per herbas,
Anxia & à dulci neſcit decedere prole.
Talis amor tuus eſt, & curis cedere neſcis.
Mecum omnes magnum celebrate Palæmona Nymphæ.

I citò, pange roſis ternas Arethuſa corollas,
Pange Arethuſa, & dic: Hæc ſunt tua ſigna Palæmon:
Diceris in ſummo totidem geſtare Lyceo:
His ruris pater, his paſtorum maximus audis.
Mecum omnes magnum celebrate Palæmona Nymphæ.

Has violas atque hæc florentia gramina veris
Produxit roſei fecunda potentia ſolis,
Et ſeruat, quantum rapidi lapſus ſinit æui.
Sic & nos & noſtra foues, decoráſque Palæmon.
Mecum omnes magnum celebrate Palæmona Nymphæ.

CONGI ORATOR VRBANO VIII. PRIMO E ROMANIS PONT. OBEDIENTIÆ CHRISTIANÆ SACRAMENTVM DICIT.



ELICIS iacturæ genus eſt, quod lucro potiore ſarcitur. Sectariis à PETRO tumultuosè deſciſcentibus, impia defectio tam cumulatè penſatur, vt non adeò luctuoſum ſit illos defeciſſe, quàm iucundum tot nouas gentes CHRISTO auctorari. Iugum à paucis Europæ prouinciis detrectatum, Oriens ſubit, & Occidens. Sinæ, pro Anglis: pro Batauis, Iapones: pro Germaniæ & Galliæ parte, Æthiopia, Congus, India, & iam America in partibus. Quanto maiora quæſiuimus, quàm amiſimus? Euincerent iſta incrementa perduelles, niſi contumaciæ auidiores eſſent, quàm Religionis. Inſultent, vt volent, Pontifici; perfidiam ſuam nouo ſcelere maculabunt: dum interim legationes ad eum vndique ſuſcipientur, dum Orbis & Fidei Princeps agnoſcetur. Sacramentum illi Congus dicet, compenſabitque nouatorum diſceſſum: fortunâ ſuâ felix, & Pontificis Beneuolentiâ; qui vt obſequio Congi vices remetiretur, Oratorem eius immaturâ

quidem, ſed ſanctâ morte in glorioſo munere exſtinctum, Sepulchro, Imagine & hac Inſcriptione decorauit:

MARCHIONI ANTONIO NIGRITÆ
REGIO CONGI ORATORI,
QVEM PAVLVS V.
NONDVM PERACTA LEGATIONE
IN VATICANO MORTVVM
IN EXQVILIIS FVNERAVIT,
VRBANVS VIII.
QVI PRIMVS ROMANORVM PONTIFICVM
A REGIBVS CONGI
PER ORATOREM IOANNEM BAPTISTAM VIVES
CHRISTIANÆ OBEDIENTIÆ
IVRAMENTVM EXCEPIT,
SEPVLCHRVM EXSTRVXIT
PONTIFICIÆ CHARITATIS MONVMENTVM
ANNO DOM. M. DC. XXIX.
PONTIFICATVS VI.

Ad quem ſectariorum ſic accurritur? cui ab extremo orbe Legati? ô dementiam exiſtimantium ſe à Chriſtianæ Religionis Virtutiſque deſertoribus ad Fidei puritatem traductos!

SILVA IX.

FRustrà profanis seditionibus
Rebellis error bella Deo moues.
Frustrà superbi perduelles
Regna PETRI lacerare amatis.
Quod scindit Anglus, sarcit Arabs: fugam
Pensat Batavi Mexico: nec minùs
Utrumque iam latè per axem
Signa Fides numerosa tollit.
PETRVS, Tyrannorum & domitor Stygis,
Ubique regnat, riteque subijcit
Sinasque, Brachmanesque, & Afros,
Et Cafares Apici Quirino.
Jam Christianæ militiæ volens
Dat nomen Indus. Iam niger Æthiops,
Dicto Sacramento Tonanti
Luce animi faciem serenat.
Damnant parentum crimina Iapones,
Xacæque damnant atque Amidæ rosas,
Et non pudendis adaugent
Purpureos pugiles cateruis.
Venêre Persæ, fastum & acinacem
Vouêre templis. Ipse Aba, cidari
Sceptrisque submissis amauit
Pontificum famulus vocari.
Misit flagranti Congus ab Africâ
Primos suorum, qui Latio Patri

Regísque Congorúmque mentes
Egregio obsequio dicarent.
At sancta longas vota moras habent
Plerumque. Congi non humilem fidem
Tardauit, Oratore rapto,
Vis rapidi properata fati.
Hoc nempe munus debitum erat tuo
VRBANE *Regno : quo generosior*
Perfusa melle BARBARINO
Acciperet Sacra nostra Congus.
Dum te Magistrum, dum Dominum colit,
Sensit Parentem. Lux tua supplicis
Distinxit obscurum colorem,
Nocte animi tenebrísque pulsis.
Hærebat alto victa silentio,
Cùm te coruscum lumine gloriæ,
Te iura terris diuidentem
Et triplici rutilum coronâ
In Sede vidit. Non potuit magis
Responsa, vultúsque, & Salomonios
Nicaula mirari ministros,
Aut Solymæ strepitum beatæ,
Opésve Templi. Mox patiens tui,
Suíque compos, procidit ad pedes,
Pedes adorandos ab ortu
Solis ad occiduum cubile;
Dixitque tandem : Magne hominum Parens,
Minorque solo Numine ; quem peto

Per

Per tot labores, cui colendo
Fuſca alium venio ſub axem;
Votum ſecunda ſupplicis: & fidem
Nulli obligatam Pontificum, ſine,
Tibíque Rectoríque cæli
Seruitio voueam fideli.
Votum perenne eſt: nulla dies fidem
Et nulla ſoluet cauſſa. Feri licet
Pugnent Tyranni, pugnet Orcus,
Perfidiam fugiam per ignes.
Mox ſola ſecum, Curia par, ait,
VRBANI *Olympo eſt. Quot Proceres habet,*
Tot Regum alumna eſt. Te beatam
Hoc Domino, Patribúſque Romam!
Non ſole puro Regia Cælitum
Non noctilucis clarior ignibus,
O magne ſol mundi, ſenéſque
Purpureæ nitida aſtra Romæ.
Sic læta Congus: quatenus ad Notum
Redux, Quiritum magnificentiam
Sedíſque ſplendorem Latinæ
Attonitis memorauit Afris:
Quàm tu illam amico lumine videris,
Quàm te colendum ſenſerit. hinc tui
Oris figuram geſtienti
Lætitiâ populo exhibebit,
Palámque dicet: His labiis fluit
Fidéſque, verúmque. Hac facie ſedet

Sedata

Sedata Maieſtas ; nec oris
Fulgor abeſt , neque ſanctitudo.
Huius sereni cura ſupercilî
Flectit quietis omnia nutibus:
Manusque felices Olympum
Apperiunt, cohibentque Ditem.
O ter beati qui propè lucidos
Vultus adorant : qui ſapientiæ
Reſponſa ducunt : quippe longè
Inferior meritis tabella eſt.
Exinde cunctis concinet additos
Mauris honores : vt nouâ imagine
Antonij Oratoris ora
Et cineres tumulo dicaris.
Viuit ſuperſtes noſter in Italis
Orator oris . Viuat in Africâ
Rex, dicet, orbis : quamque nobis
Effigiem dedit ars, colamus.
Gratum elocutæ Barbarus annuet:
Plauſus ſequetur. Tu Pater audies
Per templa, per domos, in aulâ,
Præſidiumque ſalúſque Congi.

GESTORVM VRBANI VIII. PONT. MAX.

LIBER QVINTVS.

ORBIS ET PACIS PROCVRATIO.



MVNDI quoque procuratio, Pacisque reducendæ cura, hoc postremo volumine, inter VRBANI laudes referantur. Quamquam enim nexum cum superioribus habeant, separato tamen & proprio libro sunt consignandæ: ne quarum fructus percipimus, earum laudi defuisse videamur. Simul vt longissimam vitam salutari Principi apprecemur: qui modò Legationes, modò Principibus dona mittendo, iam arbitrum se & sequestrum gerendo, nunc expugnando infideles, pacem & tranquillitatem sæculo procurat.

LEGATIO GALLICA EMINENTISSIMI PRINCIPIS FRANCISCI CARDINALIS BARBARINI S. R. E. VICECANCELLARII AD COMPONENDAM PACEM.



STRA quædam ſunt, quorum exortu ſumma per vniuerſum orbem fulget ſerenitas. Orbi vix affulſerat VRBANVS, & iam de pace, hoc eſt de ſerenitate temporum conſtituendâ cogitabat. Inducendi erant in pacem Galli: fratris filium in Galliam dimiſit, vt induceret. In eiuſdem pacis ſocietatem vocandus fuit Hiſpanus: ipſum pariter in Hiſpaniam miſit; vt gentem vtramque arctiſſimo concordiæ vinculo deuinciret. Vbi coëunt ambæ, fruſtrà ceteræ tumultuentur. Nihil non Hiſpani prudentia, & alacris feſtinatio Galli compeſcat. His pacatis, Orbis componitur; euertitur, concitatis. Cardines dixeris, quibus vtraque Europæ fortuna vertitur. Quo ſapientior eſt æſtimandus VRBANVS, quòd primas curas ad vtrumque inter ſe conciliandum intenderit. Laudabilior FRANCISCVS, quòd Patrui curis obſecundans, ea conſilia dederit, quibus ſtatum ſi fuiſſet, nulla Orbem arma concuſſiſſent.

AMYN-

AMYNTAS, ECLOGA.

SILVA I.

HUnc mihi da proprium mundi Pater alme laborem.
Pauca tuæ laudis cognato in sanguine restant
Facta mihi modulanda. Tuus dicetur Amyntas
Siluestri calamo. renuat quis carmen Amyntæ?
Ipsi equidem dudum diuini gratia vultus,
Atque tuis similes mores, atque inclyta virtus
Pectoris, & terris prudentia nata tuendis
Æternum peperit nomen, totique canendum
Parnasso ostendit; nec Musis dulcior vlla
Quàm sibi præscripsit quæ pagina nomen Amyntæ.
Incipe, quàm fortis canas transscenderit Alpes,
Quàm placido Rhodani recrearit lumine gentes,
Dum pecudes vmbras captant, hîc, Musa, canamus.
Non soli saltus, non solæ carmina rupes
Excipient; Diuûm pars non leuis ibit ad aures.
Quæ nemora, & campi, vel quæ te cærule valles
Sequana ceperunt, cùm magnam magnus in vrbem
Et Patruì se more ferens intraret Amyntas?
Nam neque tum pigro stringebas flumine ripam,
Sed super effusus torrentior arua secabas,
Visendi studio celer, & venientis amore.
Ipsi etiam fontes, liquidissima numina ruris,
Et Satyri, Faunique leues, viridésque Napææ,
Tu quoque sancta Pales, Sol hic nouus vnde? rogabas.

Nec minùs intereà calamo resonante coloni
Hospitis in laudes ibant. Pars carmine nomen,
Pars iter, & munus, pars fortia facta canebat:
Vt sancti Patrui iussis & numine fretus,
Aërios montes superarit, & ardua saxa
Eductæ in nubes Alpis. Tu sideris instar
Exoreris Celtæ: te Sequana pronus adorat.
Feruent innumeræ per compita longa quadrigæ,
Aduentuque tuo populosa Lutetia gestit.
Ipsa tibi flores, maioraque lilia passim
Fundit humus. Tu sanguineum, placidissime, Martem,
Dicebant, orcumque manu, tu nigra coërces
Monstra Erebi, Geticoque frementem in carcere Erynnim.
Te scelerum artifices horrent; te perfidus error,
Obductus laruâ & fallacis imagine veri.
Romulei tecum maiestas sancta Senatus,
Te consanguineis apibus sapientia stipat.
Salue lux Vrbis, spes præsentissima Regni,
Et nos nostraque dexter adi pedê rura secundo.
Sic medios inter plausus deuenit in vrbem,
Et iuxtà niueis volitans Pax candida pennis;
Pax agrorum, ouiumque salus, spicasque tenebat.
Ibat & Ausonio fulgens Solertia cultu,
Relligioque, Fidesque, & pleno Copia cornu.
* *Continuò delubra petunt. hîc pulcher Amyntas*
Auratâ in trabeâ, purâque in veste colendus,
Immortali Agno rectori fecit Olympi.

*Alluditur ad primũ Sacrum Eminentissimi Principis, & ad Indulgentias illud audientibus concessas.

Tum

Tum verò Æthereis templúmque vrbémque videres
Muneribus fluere, & Latiis ditescere donis.
Haurite hinc populi, Pietas, haurite, canebat;
Vitales veniæ fontes recludit Amyntas.
Nec veniæ fontes recludere magnus Amyntas,
Nec tellus gramen, nec cessant flumina lymphas
Fundere, nec roseos orbis Titanius ignes.
Lætus at ille tamen, Galli seruabitis, inquit,
Mentibus hæc vestris: Galli seruare decora
Non duri, ô mea tum quàm tutò cura quiescet,
Vestra meis olim monitis si bella residant.
Atque vtinam libeat vobis nil fidere Marti!
Non illum vestræ possint saturare ruinæ,
Nec si squalescant abductis arua colonis,
Aut miseris captæ viduentur ciuibus vrbes.
Omnia Mars perdit, & vos compescite Martem.
O si tum sanis patuisset Sequana dictis,
Si stabilem inter se iunxissent sæcula pacem,
Non rupto infestæ certarent fœdere Gentes,
Non misera iniectis lucerent oppida flammis:
Sed neque lentus Arar, neque cæde Somona ruberes,
Et Rhenus puras in pontum euolueret vndas.

ROSA AVREA
VRBANI DONVM
QVO
EMINENTISSIMVS PRINCEPS FRANCISCVS CARD. BARBARINVS S. R. E. VICECANCELLARIVS MARIAM BORBONIAM ANGLIÆ REGINAM PATRVI NOMINE AFFECIT.



SANCTVM munus, & à ſanctâ manu tranſmiſſum vides: Roſam auream, caſtiſſimis religionibus ab VRBANO dedicatam, perlatam à FRANCISCO Cardinali BARBARINO. Munus accepit MARIA HENRICETA, Borbonij ſanguinis Nympha: Regina, Regium florem: Angliæ Domina, Roſam. Summus quidem eſt qui miſit, atque à magno magnæ tradita eſt: verùm maior eſt, qui in dono, & cum dono CHRISTVS. Illo opus habuit in Britanniâ commorans MARIA; vbi Regni quidem Roſas habitura, ſed CHRISTVM in iis non erat nactura. Præſtabilius fuit florem ab VRBANO nouum accepiſſe, quàm antiquas roſas inueniſſe, aut inuentis frui. Flos VRBANI, lætitiæ Regiſque cæleſtis eſt pignus: Britannicæ roſæ, quid aliud quàm funeſta Eduardi & Edmundi bella repræſentant? Eſto, ambas coniunxerit Henricus: eſto, amouerit

amouerit discordiarum spinas. An tu Rosas quæ in Ecclesiæ rosario non florent, spinis carere dixeris? Ex illo, rosam offerri MARIAE decuit; quo in illis Angliæ sentibus, & se CHRISTO seruire, & CHRISTVM suam Rosam, suum florem esse cognosceret.

SILVA II.

AVgusti flores, Romanæ munera Sedis,
Quos neque Flora tulit, neque fertilis aura Fauoni,
Nec studiosa manus Pæsti decerpsit in aruis;
Si nil naturæ debetis, & omnis ab alto
Additus hic fulgor, si sacri in imagine signi
Rectorem Superûm benè redditis, ite colendi,
Ite, & BORBONIO *genitam de sanguine Nympham,*
Quæ velut in duris ardens rosa sentibus, Anglos
Nunc inter meritis formæ fideique coruscat,
VRBANI *donis recreate, & pignore Diuûm.*
Ipsi equidem roseos supplex dedit Anglia flores,
Siue tuos, Eduarde, tuos Edmunde, tuumve
Floribus è geminis insigne, Henrice, refulgens:
Sed non hi tanti, quippe exitialibus horrent
Flagitiis; ex quo, contempto nomine PETRI,
Effrenis Princeps indebita munera sumpsit,
Et totam errorum corrupit sordibus aulam.
Purior ac nullâ fœdatus labe MARIAM
Flos iuuat. Ite Rosæ: manibus vos illa pudicis
Excipiet; Romæque memor, magnique Tonantis,

Rega-

Regales inter gazas aurumque recondet.
Iamque aliquis veterum non fausta insignia Regum
Floribus VRBANI componens, Hei mihi, quantas
Edmundi strages, & quanta incendia, dicet,
Germani peperere Rosæ; cùm pace solutâ
Infestis rubram peteret rosa candida signis!
Tum misera in geminas diuisa est Anglia partes
Flore sub aduerso: tunc se ciuilis Enyo
Extulit, & longo collisa Britannia bello.
Contrà autem rosa quam Latiâ FRANCISCVS ab aulâ
Pertulit, attollit Reginam pignore pacis,
Lætitiæque ipsi est monumentum, & tessera CHRISTI.
Nec verò Henrici tribuit rosa tot bona Regno,
Pugnantum quamuis sedarit bella rosarum,
Et calycem binos flores sociarit in vnum.
Ilicet insani furiis agitatus amoris
Bellum importunum Superis indixit, & Orbi:
Nec priùs abstinuit quàm ferro lumina Regni
Perderet, & Romæ Sacris auerteret Anglum.
Tantum dirus amor potuit suadere malorum.
VRBANI sed iam recreata Britannia donis,
Instaurare Fidem possit, reddique Tonanti.
Quis scit an hæc flores portendant commoda? quis scit
Pontificíne suos seruet Regina Britannos?
An non sic fortem Clodoueum pulchra Clotildis
Indomitósque Deo docuit se subdere Francos?
Numquid & errorum damnatâ labe, Latino
Hermenegilde iugo duce coniuge colla dedisti?

At

At non inferior meritis, nec ſanguine diſpar,
Aut roſeæ Ingundi magnæve MARIA *Clotildi eſt.*
Illa quidem ſecura Dei, ſecuráque amorum
Coniugis, exemplo vocat ad meliora Britannos
Errantes; Lætijque aſpirat floris odorem,
Grata pijs, metuenda malis; Mens publica Regni.
Sic vbi purpurei per prata rubentia Pæſti
Emicuit florum princeps, diffunditur acer
Halitus, exitium ſcarabæi & vulturis: at quæ
Immundas ſordes prædámque odêre pudendam,
Hinc paſcuntur apes, hinc mellis ſemina libant.
Cælicolùm accedet miro Regina fauore;
Et quæ flos rerum, flos myſticus ætheris audit,
Spes iuſtas non deſtituet; populumque piatum
Romuleæ Sedi rurſum parere docebit.
Innocui Anglorum Reges, Proceréſque beati,
Sub quorum iacet impietas euerſa ſepulchris,
Políque Edmundíque, atque inclyta nomina Thomæ;
Tu quoque cui Regni Dominum, Regníque ſalutem
Naturæ committit amor, generoſa MARIA,
Cui caput à tenerâ quondam ceruice reciſum,
Sanguinis heu miſerere tui, ſceptrúmque nepotis
Redde PETRO. *iam Nympha ipſi Borbonia ſeruit:*
CAROLVS *accedat, caræque exempla ſecutus*
Coniugis, atque tuo dilutus ſanguine ſancto,
Et Sacris Patrum, & Fidei reddatur auitæ.

LEGATIO HISPANIENSIS
EMINENTISSIMI PRINCIPIS
FRANCISCI CARD. BARBARINI
S. R. E. VICECANCELLARII
ET GENETHLIACON
FILIÆ PHILIPPI IV. REGIS POTENTISSIMI
AB EODEM PRINCIPE
PATRVI VRBANI NOMINE
CÆLESTI E FONTE SVSCEPTÆ.

ECLOGA.



ITANE Eclogam tam illuſtri argumento? Cur non potiùs Ἀποβατήριον? cur non Ἀπολυτικὸν, aut Genethliacon purum? Quid arundini & huic nobiliſſimæ Legationi commune? Ciuiliter mones qui hæc obiectas. Sed an prudenter? Paſtorales calamos lyræ plectroq́ue prætuli, quòd illi cupidiùs à magnis magnificentiæ faſtidioſis audiantur. Eſt ſuus ſimplicitati decor, quo aſſuetæ ſplendori mentes capi ſe non dedignantur. Nihil officiet argumenti magnitudo. Etiam Genethliacon ſuis Bucolicis Vates inſerüit. hoc me iudice abſoluo. Et quis damnet, poſt exemplum tam inſigne, tam probandum? Vel Maroni vitio des Pollionem, aut Damœtam noſtrum probes neceſſe eſt. Illud ſi fugis, quin

quin mecum fateris, ſiluas non Conſulibus modò, ſed purpuratis etiam Patribus, & Regum prole dignas. Quid metuis in hanc venire ſententiam? non auctores nos ſolos habebit. Sic cenſuere Marones, Theocriti, quorum ſtipulâ etiam Reges inclaruerunt. Quo minùs mirari habes, ſi Principem hunc Hiſpaniam adeuntem Bucolicis numeris proſequar: non abludit ab hoc genere carminum Pax, quam ille ſuaſum it. Ac licet regiæ Nymphæ vel natale, vel inauguratio luſtralis, grandiores numeros poſtulet; non hîc primùm Auguſtis natalibus præludent paſtores. Atque adeò ſi contingat, in materiæ maieſtatem illos peccare; veniam facilè petent, faciliùs ferent, ob ruſticam ingenuitatem. Quæ haud ſcio an Vati ſpecioſiora profeſſo ſperanda, certè poſtulanda non eſſet.

SILVA III.

EIDEM EMINENTISSIMO PRINCIPI POETA.

CVm fugerem ſiluas & paſcua, Muſa fugacem
Increpuit, monuitque: Poëtam Myrtile carmen
Sæpè decet Siculum deducere; ſæpè canorâ
Pro citharâ, gracilem labiis percurrere auenam.
Quid refugis ſiluas? ſiluæ ſunt Murice dignæ.
Tityrus in ſiluis celebrauit lumina Romæ:

Sicelis in siluis Reges cantauit arundo.
Ergo ego, dum crescunt onera ad grauiora lacerti,
Plenaque imaginibus tibi molior atria, & omnem
Nobilitatem Vrbis lapsæ, veterisque Senatus,
Auspice te Latiæ meditor committere luci;
Nunc pastorali Patrui te iussa sequentem,
Portantemque acri Romanum fœdus Ibero,
Simplicitate canam: nostras ne temne myricas.
Tenuia pastorum non spernunt munera Diui.
Vt primùm occiduos Damœtas missus in agros,
Damœtæ fertur cecinisse hæc carmina Proteus,
Fatidicus Proteus, Superi cui scire dederunt
Quæ sunt, quæ veniant, & quæ iam facta premantur.
Hesperiis pacem properas inferre colonis,
Atque omnes iuranda vocas ad fœdera gentes.
Fœdere iungentur, sontis si crimina mundi
Non obstent, scißâque minax discordia pallâ.
I felix, genioque tuo, genioque tuorum:
Iam Pyrenæi subdent tibi culmina colles:
Iam geminis Lethe discet tua nomina ripis,
Auratasque Tagus supplex aduoluet arenas.
Ipsa nouato habitu, atque animos tollentibus aruis,
Insolitas vulgo fruges Hispania fundet.
Liberiora tegent viridantes gramina campos;
Atque nouis omnis se frondibus induet arbor.
Parua loquor: mediâ pulcherrima surgit in aulâ
Nympha, recens amor, & magnorum cura parentum,
Nympha animo Patris, pulchræque simillima Matri,
Quâ

Quâ duce non renuat vanescère discolor ætas,
Nec renuant iterùm Saturnia currere sæcla.
Huic tu viuifici perfusæ flumine fontis
Afflabis Patrui cælestem nomine vitam:
Tum Superûm signum accipiet, cæloque sequetur
Adscriptos Atauos, atque ipsa probabitur illis.
O si nascenti non fluxæ tempora vitæ
Cælicolæ dederint, quàm latè vtrumque per orbem
Et generis fato, atque VRBANI *Numine crescet!*
Incipe de gremio nutricis brachia Nympha
Porrigere ad Matrem, & dulcè arridere Parenti.
Incipe Damœtam tenero cognoscere risu:
Iam te Damœtas diuino è fonte leuabit.
Ecce tibi tellus varios sine semine flores
Læta parit: roseos vltrò natura corymbos
Sentibus in duris alieno tempore fundit.
Capreoli fruticosa errant impunè per arua,
Nec lupus insidias gregibus, stragemque leones
Armentis meditantur. amat noua Nympha quietem.
Sponte suâ viridi manant ex ilice mella,
Mella sacri Panis placidum referentia regnum.
Cæca tamen gliscunt occulti incendia belli,
Quæ pecorum pacem, quæ turbent otia ruris,
Et latè Europam peruadant. Æmula virtus
Paucorum caussas alimentaque suggeret igni.
Iam video infestis adopertum classibus æquor,
Armatas acies totis discurrere campis.
Alter erit tum Cacus, & altera quæ manus ausit

Vertere in antra boues. ſurgent etiam altera bella,
Atque iterùm Alcides magnis noſcetur in armis.
Cælicolæ prohibete nefas: auertite peſtem.
Vosque Fide ſimili iuncti vinclisque Sacrorum
Paſtores, tantos odiis ne tollite motus,
Neu ruite in mortem fundis ſudibusque præuſtis;
Atque alia audaces ſeruate in bella moloſſos.
At tu Damœta, cùm dira aduenerit ætas,
Acceleres belli incenſi reſtinguere flammam.
Innocuum pecus hoc poſcet, poſcentque capellæ,
Eque tuis apibus mella hæc miſer exiget orbis.
Mox cùm pax ouibus fuerit, cùm reddita campis,
Effigies ex ære nouas tibi ponet, & auro
Spiranti Patruum reddet. Tum pacis & otî
Atque tibi atque illi deberi commoda dicet.
Euenient: nec erunt Protei præſagia falſa.
Vidimus oppreſſum feruentia bella per Orbem.
Pax rabidum Paci Mauortem cedere coget.
Bellica iam gratum populis tormenta ſonabunt,
Illo quo tonitrus & flammas ære vomebant.
Quin etiam in falcem longus curuabitur enſis,
Et BARBARINA gaudebunt ſæcula Pace.

VICTO-

VICTORIA NAVALIS, ASANI CALASTATI COPIIS IN TYRRHENO FVSIS.

OLITABAT toto Tyrrheno Aſanus Calaſtatus, prædâ & minis plenus. Iamque eò veſaniæ deuenerat temerarius pirata, vt Siciliæ, totique Italiæ catenas minari auderet. Sed quid? fœda interminatus eſt, vt ſpe eluſus fœdiora pateretur. Non tulit minacis inſolentiam VRBANVS: vt coërceretur, fœdus cum Hiſpanis & Thuſcis percuſſit; vnam ex omnium triremibus claſſem fecit, vt cunctorum armis puniretur, qui cunctos violarat. Hinc vela facta in contumacem: à quo pugnatum quidem eâdem audaciâ, quâ prouocauerat; non tamen eâdem felicitate. Nam à quibus ius & cauſſa ſtabant, ſtetit Deus, & cum Deo victoria. Omnes piratæ naues, partim captæ, partim demerſæ. Ne tamen eſſet noſtris incruenta victoria, cæſus eſt Neapolitanarum triremium Præfectus Pimentellus, morte iuxtà ac vitâ clarus. At quot hoſtium funeribus, quantis Italiæ commodis, fortiſſimi Ducis cædem penſauimus? Decoloratum eſt Afrorum cruore Tyrrhenum, Siciliæ formido diſcuſſa, aſſerta Italiæ ſecuritas: recepti captiui multi, facti plures ex hoſtibus. Ita qui vincla hominibus, vr-

bibus

bibus flammam, deuaſtationem prouinciis illatum venerat; terrâ mariq́ue pulſus, docuit ſuâ ſtrage, fruſtrà Barbaros in Chriſtianorum oras incurrere, noſtrorum vires auſpiciis VRBANI congregatas euertendo Turcico imperio ſufficere: nec longè futuram ruinam, ſi arma in Othomannum mallent quàm in ſe experiri.

SILVA IV.

ITe Romani, celebrate ouantes
Templa; campanum vocat æs ad aras:
Ite, & vltori memores Tonanti
Reddite vota.
Occidit claſſis Libyci Tyranni,
Occidit noſtræ populator vndæ,
Inferi creber Siculiq́ue ponti
Terror Aſanus.
Ille dementes Latio ruinas,
Ille cladem auſus populo Sicano,
Et triumphali malè nexa Romæ
Vincla minari.
Ignibus feſtis niteant plateæ:
Ardeant mixtæ facibus lucernæ:
Æneæ è muris animoſa rumpant
Fulmina cannæ.
Vóſque victrices Libyæ triremes,
Vóſque captiui poſitis catenis,

Curua

Curua certatim vario replete
Littora plausu.
Quà sinus vergit Lilybæi ad Afros,
Spectat & fines Latios Pelorus,
Horridam ad pugnam coiêre multo
Milite classes.
Altera Osmanni sinuata lunis,
Spes ferens secum tumidè feroces,
Thraciæ florem, Libyæque in armis
Robur habebat.
Altera VRBANI *benè fulta Diuis,*
Militem Thuscum sociasque Iberi
Principis naues sceleratum agebat
Fortis in hostem.
Ergo vt aduersæ vario steterunt
Hinc & hinc cornu, tremulo nitebat
Lumine armorum mare, iam cruento
Gurgite iturum:
Cùm poli labens MICHAEL *ab arce*
Romuli Patris dominas triremes
Altus insedit, tenuitque summi
Culmina mali.
Hîc in ardenti nebulâ relucens,
Ore fatales iaciebat ignes,
Et coruscanti numerosa in Afrum
Fulmina parmâ.
Talis in primo caluit duello,
Cùm reos culpæ socios, beatis

Pelleret regnis, tumidumque in orcum
Mitteret anguem.
Mox ait: CHRISTO *duce iuncta classis,*
Publicis votis onerata classis,
Vince nunc alto, tibi dirus hostis
Littora cessit.
Quis pudor, Bassas volitare toto
Æquore audaces? vacuare terram,
Atque Sultani Latio replere
Remige scalmos?
Vindice hæc labes abolenda ferro.
Nominis cessent probra Christiani.
Militi prædo Scythicus rependat
Damna Latino.
I Musurmanni metuenda rostris.
Quid sinis lunam Siculos inultam
Ire per fluctus? age peruicacem
Obrue Asanum.
Nec recusandus videatur, etsi
Mille prætexat pelagum carinis.
Numine inuito, nimiumque iniquâ
Labitur vndâ:
Quasque per naues duplici coronâ
Ferreas cannas truculentus aptat,
Senties vano iaculari inanes
Fulmine glandes.
Thrax (nefas!) vestris odiis superbus
Bella deposcit: simul vt coïtis,

Impetus

Impetus impar tolerare, terrâ
Cedit & vndis.
Dum calent rixæ, cupidus duelli est,
Subdolè pugnax: vbi conferendæ
Viribus vires, dat opima vestris
Arma trophæis.
Tempus est: tenta generosa pugnam.
Dux ego audendi, trepidam Gelonos
In fugam vertam. Tibi certa crescit
Me duce palma.
Victor hic illam metet ensis: illam
Bistones fractis animis relinquent.
Vincimus caußâ. quid adhuc moramur
Vincere ferro?
Dixit, & sacros iaculatus ignes,
Concano immisit gelidum pauorem:
Moxque palantes chalybæa quassat
Grando carinas.
Vincit VRBANVS MICHAELIS *armis:*
Dant Scythæ pœnas, laceræ feruntur
Hinc & hinc naues, Siculumque gaza
Afra per æquor.
Audijt pugnæ sonitum Charybdis:
Audijt Turcas cecidisse Scylla,
Atque latratu petere Ottomanni
Cornua visa est.
Interim marcet tibi sancta laurus
Pulcher Europæ Fideique sanguis;

Laurus hæc marcet, totiésque victor,
Vincere nescis.
Ast vbi affulget speciosum inane,
Dumque priuatæ trahit aura laudis,
Arma non lentus rapis; arma pugnas
Vertis in omnes.
Triste quid nomen iuuat, & pudendas
Quærere his armis animísque lauros?
Barbaræ quanto meliùs refringas
Cornua lunæ?

ROSA AVREA
FERDINANDO II. MAGNO HETRVRIÆ DVCI
ANNO SANCTO CONCESSA.



TERVM Rosam auream, iterùm pulcherrimi muneris pulchrum argumentum tracto. Verùm pulchrius fiet, si prætermissam antè floris consecrationem, formam, symbola, ceterósque ritus in medium protulero. Equidem nouus hinc in Pontificium florem splendor, noua muneri gratia accedet. His ignoratis, vix capias doni dignitatem. Certè, quam ob caussam, Rosam auream vel VRBANVS dederit, vel tulerit FERDINANDVS, non perspicias. His probè intellectis, ritus sanctissimos suspicies, VRBANI prudentiam commendabis. FERDINANDI felicitati gratulabere, quòd anno

anno sancto pius & magnus Viator Romam profectus, portæ sanctæ fructum & Rosam ab VRBANO meruerit.

SILVA V.

CAlliope Latij referamus dona Parentis,
VRBANI magnâ dona dicata manu.
Ardua res dictu; sed erit retulisse decorum.
Non iuuat è molli lecta corona iugo.
Perge rosam viridi radiantem adiungere lauro:
Laurus Castaliis & rosa grata choris.
Fusilis in ramos auratos spargitur arbor,
Auratis pariter suspicienda rosis.
Dedicat hanc Orbis solemni carmine Princeps;
Dumque dicat, tales concipit ore preces:
Omnipotens Genitor, cuius vox viuida, rebus
Mensuram, numeros, pondera iusta dedit.
Quo duce, Sol lucem moderatur, Cynthia noctem;
Itque per alternas ignis vterque vices.
Tu fons lætitiæ, tu iusto pura voluptas,
Siue illum alba fides, seu tibi iungit amor.
Sic tibi deuincti te supplice voce rogamus,
Felicem florem hunc esse bonumque velis.
Ille quidem & pulcher formâ, & iucundus odore est:
At sine te nullum lætitiæ omen habet.
Lætitiæ populis ferat omina, si benè leto
Et Nati nobis sanguine parta tui.

Ille iugum Ditis, Babylonis vincula soluit,
Nostra vt libertas, nostra corona foret.
Ecce sacræ fulget flos libertatis imago:
Parcite vincla pias dura ligare manus.
Propria erunt nobis hæc gaudia; luxque sequetur,
Quam nullæ tenebræ, nubila nulla tegant.
Tu modò tu Genitor surgentes opprime noxas.
Auctori noxa est semper iniqua suo.
Aspice quos fluctus ciet, & compone procellam.
Tranquillas meliùs cymba secabit aquas.
Ibimus ad CHRISTVM : CHRISTI *ducemus odores.*
CHRISTVS *flos nobis ; & Rosa Saron erit.*
Hæc ait, & Syrio florem contingit oliuo:
Hinc Moschi in ramos fragmina odora iacit.
Mox fragrans puri rigat aurum flumine roris,
Thuraque dat castâ terque quaterque manu.
Intereà dulci resonant sacraria cantu,
Et cœtus festo consonus ipse suo est.
Continuò quem sancta manet rosa, protinus ille
Curuatis genibus splendida dona capit.
Imbuis exemplum, Tu FERDINANDE, *sacrati*
Moris, & VRBANI *munera lætus habes.*
Demisso ille Rosam cùm traderet ; Est ea, dixit,
Digna tuis meritis, est quoque digna viâ.
Hanc tibi concedit per me Regnator Olympi,
Cuius ego in terris sceptra vicesque gero.
Tu Solymæ hinc palmas æternæ, & gaudia disce,
Gaudia terrenæ præmia militiæ.

Cùm

Cùm pius, & Thuſcis venias huc magnus ab oris,
Dona Ducem magnum noſtra piumq́ue decent.
CHRISTVS *in his magni menſuram Nominis implet.*
Quod colat, in CHRISTO *mens pia ſemper habet.*
Ergo inter gentis Medicææ lilia ſemper
Flos hic, ceu pignus proſperitatis eat.
Sic Medicæa domus, ſic fortis Hetruria creſcat,
Siue tuo fato, ſiue fauore poli.
Dixerat VRBANVS*: pedibus Dux oſcula ſanctis*
Et manui libat, quâ dabat ille Roſam.
Macte igitur ſacro ditatus munere Princeps:
Floribus his præſens Numinis omen ineſt:
Omnia digna tuis ſpondet Roſa myſtica cœptis:
Illius auſpicio magna mouere decet.
Siue nigros properas claſſem dimittere in Afros,
Seruiet imperiis Africa tunſa tuis:
Seu Scythici inſequeris claſſem lunamq́ue Tyranni,
Ante rates fugiet barbara luna tuas.
Quæ me præcipitem rapuiſti in prælia Mauors?
Non ſunt hæc elegis arma ſequenda meis:
Egregij potiùs referamus ſymbola doni,
Materiâ haud venient inferiora ſuâ.
Quicumque ille fuit præclari muneris auctor,
Nónne ſagax illum cor habuiſſe putas?
Hic Superûm Regi placuiſſe ænigmata vidit,
Et titulos inter Numinis eſſe roſam.
Illa decus veris; terrarum gloria CHRISTVS*:*
Imperat hæc violis, imperat iſte polis.

Et

Et meritò adduntur diuino balsama flori;
Puræ adolent meritò thura Sabæa manus:
Scilicet augustum quia balsama nomen IESV,
Et Numen referunt thura Sabæa Dei.
Thure Deum colimus, placamus thure Tonantem.
Prouenit ex illo nomine nostra salus.
Idem non temerè speciosa emblemata finxit,
Fecit & aurato flore micare rosam:
Naturâ quoniam concretus duplice CHRISTVS,
Atque ex æterno Numine factus homo est.
Flos hominem ostendit, Numenque probatur in auro.
Quàm facit ad dotes hæc rosa, CHRISTE, *tuas?*
Nec minùs arboreo cælestia regna metallo
Exhibet, & quâ sint illa petenda viâ.
Armat spina rosas, odor inter spicula fragrat.
Qui refugit pungi, non legit ille rosam.
Arduus ad cælum callis patet, aspera lætis
Præcurrunt: fugiens aspera, læta fugis.
Ritè etiam princeps flos informatur in auro,
Ritè sacris dono Regibus ire solet.
Flos breuis exemplum est, Regum fastigia labi,
Res summas fluxæ more perire rosæ.
Dic, vbi qui cælum tangebant vertice Reges?
Obruit exiguus nomina tanta cinis.
Aspice vt immiti rapiantur turbine flores:
In trabeas fati non minor ira furit.
Scilicet è solio citò purpura fertur ad vrnam.
Hei mihi quàm refugum flos habet iste decus!

Ingentes

Ingentes animos magni nunc tollite Reges:
Hoc aurum, hos flores, hora dat, hora rapit.
Quiſquis es, oblato moderatiùs vtere ſceptro.
Flos fragilem ſceptris indicat eſſe fidem.

IVSTITIA VRBANIANA,

ENSE, LANCIBVS, ET HAC EPIGRAPHE CELEBRIS, PAX IN VIRTVTE TVA.

PACI ſuam conſeruationem mundus debet; Pax Iuſtitiæ. Vtrâque florente, florent omnia: Artes, Litteræ, Pietas. Sed vigere Pax diu non poteſt, niſi robur à Iuſtitiâ duxerit: hæc dum ſua cuique vendicat, bellorum cauſſas & materiam tollit. Quiſquis igitur Pacem ſtabilire quæris, Pacem Iuſtitiâ fulci. Iuſtitiæ leges, adminicula ſunt quibus ſuſtentetur, ne ruat; & vim illi conferunt,ne defloreſcat. Iuſtitiam vniuerſim deſcripſi, imò VRBANIANAE Iuſtitiæ munia ſigillatim explicui. fulcimentum ea eſt Orbis, & vindex Pacis: ideò ſtrictus illi enſis in dextrâ, quo vniuerſa protegit, ſiue reſcindendo noxia, ſiue ſalubria imperando. Ideò in læuâ lances, vt æquali examine ius Orbi diuidat. Præſidium in illo mucrone habemus; non cauſſam timoris. His lancibus ſi ſe Orbis appendi ſineret, iampridem Pace frueretur, quam lugemus tot cladibus temeratam. Appende tamen vt cupis, & potes,

tes, Diua. Appende. Tuum eſt, Pacem, cùm floret, fouere; cùm exulat, reducere. reducas, fructuſque ſit tuæ Virtutis, Tranquillitas temporum.

SILVA VI.

Diua ſalus rerum, præſes iuſtiſſima mundi,
Vindice quæ ſontes ferro metis; æquaque iuſtis
Præmia diſpenſas, & recto examine fata
Fortunamque hominum appendis; ſiue atria cæli
Intemerata tenes, ſolio ſeu Numinis aſtas,
Seu Vaticani ſeruas faſtigia templi,
Vnde ſacram placido deſpectas lumine Romam;
VRBANI *Regnum, iucundaque ſæcula mellis*
Aſpice, ſed tali vultu, quo læta ſolebas
Saturni imperium genteſque videre priores.
Iam Latium, iam Roma æquo ſub Principe floret,
Quique Orbi dat iura, & Relligionis habenas
Temperat, ad recti flectit ſua facta tenorem,
Imperio exemploque potens; præſcriptaque ſuadet,
Ante & clamoſi vocem præconis, & antè
Impia quàm poſito delicta vetentur in ære.
Felices nimiùm populi, queis vita regentis
Et lex & dux eſt ad honeſta. Ter ille beatus,
Qui leges, quas conſtituit, virtutibus ornat.
Hunc neque formido, neque gratia lenis amicis
Flexit: non dubiæ regina pecunia mentis,
Non coniurati rixas intendere Reges,
Aut cæcus populorum ardor, vel diuitis Indi

Pellaces

Pellaces gazæ; non oris forma venusti,
Mollibus insidiis metuenda. Idem omnibus, idem
Insignes ex vrnâ æqui sortitur & imos.
Vtilis illa quidem terris prudentia Regum,
Quæ temerè nil decernit, seruetque doceri,
Quatenus imperio fas vti: at degener vsus
Imperij est, aliena loqui, componere iussa
Ad nutum alterius. Populis plus ille colendus,
Plus solij sceptrique capax, cui corde sub imo
Inscriptæ leges: quem sancta & firma voluntas
Iustitiæ affectus constantem format in omnes.
Talem te Numen primæuis finxit ab annis,
VRBANE, atque etiam talem Te suspicit Orbis
Condentem leges, nec iura precaria dantem.
Scilicet in Themidis mutasti pectora templum;
Quasque solent alij saxis incidere leges,
Tu melior cordique imo mentique reponis.
Hinc illa inuictæ manant oracula vocis,
Hinc mandata fluunt, geminum quæ lata per Orbem
Omnia Romano proclinant Regna Tiaræ,
Discordesque vocant animos ad Pacis amorem.
O mites regnandi artes! ô dulcia iura!
Quis nisi mentis inops, & culpæ cæcus amore,
Tam placidi Regni faciles detrectet habenas?
Quis non sponte iugum subeat, quo gloria vincto
Libertasque venit maior? quis pulchra recuset
Obsequia? ô pariter posito diademate Reges,
Et positis genibus, magno submittite fastum

VRBANO, & placeant communis iura Parentis.
Hæc Latios æstus tempestatém que Casalis,
Euersuram atris miserandas fluctibus vrbes,
Sedarunt. ea Cæsar amat: ea fortis Iberus
Atque alacres prono venerantur vertice Galli.
Hæc etiam mundum flectunt mandata latentem,
Et Ditem & Diras, atque impia crimina frænant.
His polus ipse subest: cuius si limen apertum,
Clauditur imperiis VRBANI, aditumque recusat:
Sin clausum est, clausumque velit recludere, duri
Dissiliunt subitò vectes, cælumque patescit.
Sed iam tempus erit, Virgo, componere gentes:
Linque aspectum Vrbis, finesque egressa Latinos,
Aspice ciuili sudantem sanguine mundum:
Aspice quæ gelidâ tempestas surgat ab Arcto;
Qui veniant Finni, queis Lappus fulminet armis.
Suscitat hinc Rhodanus, mouet hinc Germania bellum:
Cædibus hinc Athesis maculatur, Ararque cruentis
Fertur aquis: sonat excidium Lotharique ruina,
Ruraque fœdifragis vastantur Sequana turmis.
Nec minùs immensum sæuit Bellona per Orbem;
Ut veteri in quercu si flamma exarserit, omnes
Corripit extemplò ramos: it victor ad alta,
Accendit truncum, nec parcit stirpibus ignis.
Pone modum cladi Virgo: sint symbola vera,
Et VIRTVTE TVA PAX mellea temperet Orbem.

SOTE-

SOTERIAM VRBANO VIII.

CANVNT MOPSVS ET LYCIDAS.



NIL pensi habet auri & honorum auaritia; nulli parcit, dum cunctis inhiat. Ipsum etiam Christiani Orbis caput appetiuit. Quid ausit vltrà? omnia in VRBANO perdiderat, si euentum habuisset. vt omnia cum VRBANO seruarentur, in irritum recidêre furiosi conatus. Quid moliris inexplebilis furor? quò ruis scelus? Istæ tuæ sacrilegæ machinationes, quas opertissimas reris, proferentur in lucem. Nefariæ coniurationis tuæ socij vel conscientiâ adacti, vel impellente Numine te seque deferent. lacerabere totius conuitio posteritatis: audies infame sæculi portentum. Quò ruis? Patrem Orbis in VRBANO petis? an placet parricidium? Pergit, inferos in VRBANVM mouet, ceu validiores illi ad perdendum essent quàm Deus ad conseruandum. Aggredere quidlibet, monstrum: nec enim hominem vocarim cui mortalium Parentem perimere est constitutum. Numquam ei vitam auferes, quem Deus vult esse superstitem. Eius nutu vocatus est ad Tiaram, eius tutelâ seruabitur. Seruatus est certè, vt diutiùs eo Principe floreremus.

ECLOGA

LYCID. *QVæ noua Mopse tibi pertentant gaudia pectus?*
Suppleuítne greges fetura? an vuidus Alcon
Quos tu cantando vicisses reddidit agnos?
MOPS. *Imò aliud Lycida, quod tute fatebere maius.*
LYCID. *Nempe tuos calamos non aspernatur Helora,*
Iamque tuis faciles melior dat cantibus aures.
O te felicem si tu illam flectere possis,
Felicesque simul calamos quos illa probabit!
MOPS. *Nec meus illa ignis; nec posthac carmina perdam,*
Vt tumidæ placeam. grauior me cura subegit,
Et calamos grauiora vocant ad cœpta Camœnæ.
LYCID. *Quin tu, quidquid id est, Lycidæ dicturus apertè es:*
Forsitan alterno cumularim hæc gaudia cantu.
MOPS. *Non equidem inficior; nec enim mea pectora tantùm*
Lætitia hæc tangit; populos descendit in omnes:
Et commune bonum est. Communia vota Tonanti
Soluamus, Lycida, tali pro munere. Vota
Vnanimi vt soluamus, ego cuncta ordine pandam.
Daphnis cui nostri custodia credita ruris,
Tybridis ad ripam teneros dum pasceret agnos,
Fraudibus Antigenis penè occidit: istius ausus
Sacrilegos diro stimulabant carmine manes.

Quòd

Quòd si nec veneranda Pales, nec Numina ruris
Fregissent monstri rabiem tam dira mouentis,
Nec tuus hic Daphnis, nec custos viueret Orbis.
LYCID. *Usque adeóne vllum scelus abstulit? heu bona ruris,*
Heu Romæ tecum periissent gaudia Daphni!
Quis seruaret agros, quis oues felicibus herbis
Pasceret, aut Superos dulci placaret auenâ?
Quis rabidos nostris auerteret vrbibus hostes?
Quis daret vt quercus sudarent roscida mella?
Ut lactis fontes, vt flumina nectaris irent?
Me miserum! si te tam tristia fata tulissent,
Pastores fugerent gregibusque pedoque relictis,
Errarent sparsi tacitis in vallibus agni,
Pastorum gemitus iteraret flebilis Echo:
Tu quoque Pastorum lacrymis Tiberine tumeres:
Pro Lycidæ calamis, pro dulcis arundine Mopsi,
Funereo tristis strideret tibia cantu.
At quoniam Daphnin seruarunt Numine Diui,
Illum & præsentes celebremus arundine Diuos.
Diuos laude feramus, amarunt nos quoque Diui:
Daphnin laude feramus, amabit nos quoque Daphnis.
MOPS. *Innocuus ridet furias frendentis Auerni,*
Sub pedibusque premit fraudes & crimina Daphnis.
Ergo hilares ouium plaudunt per prata magistri;
Cumque suis bobus rura inter opima coloni.
Uberior campos vestit seges: vbera capræ
Distendunt magis: vbertas gratissima Daphni.

Ipse

Ipſe adeò labens flauenti gurgite Tybris,
Atque Vrbis montes, clamat gens tota Quirini:
Viue diu felix, viue Vrbaniſſime Daphni.
LYCID. *Crudeles manes tentarunt perdere Daphnin:*
Innocuum Daphnin mitis defendit Olympus.
Crudeles manes magis, an Gens mitis Olympi?
Mitis Gens cæli, crudeles vos quoque manes.
MOPS. *Sæpè nigra obducunt rutilantem nubila ſolem;*
Mox tamen inuictus ſol nubila luce repellit:
Sic multæ inſidiæ Daphnin petiere doliq́ue;
Sed nullæ inſidiæ Daphni nocuere dolíve.
LYCID. *Qui magnum Daphnin non diligit, oderit idem*
Æthereas flammas, Phœbei luminis ignem,
Maturas fruges, maturi dona Lyæi,
Et quas ſpiramus malè conſcius oderit auras.
MOPS. *Quiſquis amas Daphnin, veſcaris munere Diuûm,*
Mella tibi manent: viuas gratiſſimus aſtris,
Nec ſegetes pluuiis, nec ſæuâ grandine vites,
Nec doleas periJſſe greges feritate luporum.
LYC. *Panis amor Daphnis: ſua Pan inſignia Daphni*
Imperiumq́ue dedit ruris, calamoſq́ue, pedumq́ue:
Fruſtrà homines illum, Styx fruſtrà perdere geſtit;
Numquam homines illum, Stygius numquam obruet hoſtis.

MOPS. *Stant*

MOPS. *Stant & Cælicolæ pro vitâ Daphnidis, & pro*
Lanigeris gregibus quos Panis munere paſcit.
Viuite ſub tali cuſtode, metuque remoto
Carpite gramen oues : ſic vult vos carpere Daphnis.
LYC. *Magne Parens volucri gyro qui ſæcula torques,*
Æternusque hominum labentes digeris annos,
Vnum oro, Daphnis vitam, Daphninque tuêre.
Omnes paſtores, omnem ſeruaueris orbem.
MOPS. *Illa dies quæ triſte nefas perduxit in auras,*
Natali proprio poſthac mage grata recurret:
Soſpitibus Superis incendam thura quotannis,
Et roſeis ſacras ornabo torquibus aras.
LYC. *Hanc ego ſolemni celebrabo carmine lucem,*
Nec parcet ſaluo mea fiſtula ludere Daphni.
Lude hilaris mecum ſaluo mea fiſtula Daphni:
Nulla greges noſtros illo mala ſoſpite lædent.
MOPS. *Diuæ quæ regitis fatali pollice vitam,*
Quas populi dicunt non vero nomine Parcas,
Parcite, & in longum conuoluite Daphnidis annos,
Tres eritis nobis non falſo nomine Parcæ.

VOTVM PRO PACE, PRO PONTIFICIS AC TOTIVS BARBARINÆ GENTIS INCOLVMITATE.

Siluas noſtras Æternæ mentis inuocatione cœpimus, Voto finiantur. Aptè deſinitur, cùm extrema primis reſpondent.

CHRISTE
MORTALIVM SALVS,
AVCTOR ET CVSTOS ECCLESIÆ,
PONTIFICVM PRINCEPS,
CAPVT, EXEMPLAR,
QVI
ROMANAM ECCLESIAM
IN AMPLISSIMVM FASTIGIVM EXTVLISTI,
TE OMNIVM BONORVM VOTIS
ORO OBTESTORQVE:
CVSTODI, SERVA, AVGE HVNC SPLENDOREM.
VRBANVM, QVEM TIBI SVBSTITVISTI,
AMA VT TVVM,
TVERE VT NOBIS NECESSARIVM.
IVVA FIDISSIMI VICARII CONATVS.
REDDAT SAPIENTIA SVA MORTALIBVS PACEM,
QVAM ILLI SVO VITIO POLLVERVNT.

DEVS

DEVS PACIS

AVDI ET SECVNDA
PLACIDISSIMI PONTIF. PRECES.
SIT SÆCVLVM QVIETVM, SVB TRANQVILLO CAPITE:
SIT SANCTVM, SVB CAPITE SANCTO:
SVB VRBANO, HVMANVM, MITE, VRBANVM.

DATOR TRANQVILLITATIS

FEROCIENTES ANIMOS COMPONE:
DEME BELLI CVPIDINEM PVGNACIBVS.
SCIANT POSTERI,
VRBANO PROCVRANTE, TE CONCEDENTE,
PACATOS ESSE TVRBIDISSIMI SÆCVLI FLVCTVS.
PRÆSENS ÆTAS GESTIAT
TVA CLEMENTIA, ILLIVS CVRA
PACEM SIBI RESTITVI.

PRINCIPVM ET PIORVM FAVTOR

SERVA GENTEM BARBARINAM,
GENTEM MAGNAM, PIAM,
IN ORBIS ORNAMENTVM ET SALVTEM NATAM.
TV ILLAM AD HOC CVLMEN EVEXISTI:
CONFIRMA EVECTAM.
TVO ILLAM FAVORE DIGNAM IVDICASTI:
CONSERVA IN ILLA TVA MVNERA, TVA IVDICIA.
NORINT OMNES
ET OPVS TVVM ET TVÆ CVRÆ PARTEM
ESSE BARBARINOS.

ARbiter rerum, cui cuncta parent,
Iuste sceptrorum dator, ô canende
Semper, & mundo celebrate, iustis
Annue votis.

Si Tuo nutu Latius Tiaras
Tempora VRBANI triplici coronâ
Ritè præcingit, Tua, quæso, in illo
Munera serua.

In Tuo regnet solio beatus:
Dicat hinc omni noua iura mundo,
Hinc profanatæ violenta sedet
Prælia terræ.

Mitis æterni Genitrix Parentis
Virgo, Romanæ columen coronæ,
Filij VRBANO duce signa vbique
Visere possis.

Tuque quem legit trabeæ patronum
Igneæ ductor MICHAEL iuuentæ,
Inclytam magni trabeam clientis
Regnaque firma.

Vosque quos aris Superi recepit,
Vosque queis aras Superi dicauit,
Este felices: date quæ precamur
Pro Patre nostro.

Ille componat furiosa bella,
Bella ciuili miseranda clade:
Inde communem benè iuncta signa
Vertat in hostem.

Sub ſua audacem iuga mittat Hebrum,
Vincla Iordanis Solymæque ſoluat,
Et Crucem victor ſacer in receptâ
Figat Idumâ.
Hinc vbi Thraces, Scythicamque lunam
Egerit iuſto domitam triumpho,
Gaudeat partis, meritumque ſerus
Tendat in Axem.
Cælites magni, quibus approbatum
Purpuram & claues dare BARBARINIS,
Melleæ genti date læta fata,
Et decus omne.
Quique vos aris colit, atque Templa
Veſtra FRANCISCVS *reparare gaudet,*
Alleuet ſanctos Patrui ſagaci
Mente labores.
Candidas ſumat ſuper Orbe curas
Candidus Princeps, dubijque caſum
Fulciat mundi, validus pericla
Noſtra fugare.
Teque ſincerum Melitenſis olim
Ordinis lumen, modò purpuratos
Inter ANTONI *radiate Patres*
Proſperet æther.
In ſacro felix vigeas Senatu:
Hinc tuæ Gallum fidei tuiſque
Creditum curis ad honeſta transfer
Otia Pacis.

Prospero mitis placidusque vultu
CHRISTE *Germanum Latij Parentis*
Aspice, & canis meritisque pulchram
Protege vitam.
Ille calcatis opibus secutus
Signa FRANCISCI, *tibi nunc in ostro*
Seruit, vt miro iuga dedicaret
Pincia templo.
Summe stellantis Dominator aulæ,
Si faues iustis, meritosque honore
Tollis & famâ, tege BARBARINAE
Lumina Gentis:
Quique te primâ colit è iuuentâ
Magnus æternæ moderator Vrbis,
Cum suâ sponsus diuturnus Annâ
Proleque viuat.
Filij fato Generis beati
Floreant semper, generisque famam
Augeant semper, proauis vtrisque
Et patre digni.
Vnus inuictis animosus armis
Sanguinis vincat titulos paterni,
Atque maternæ speciosa crescat
Gentis in acta.
Alter à cunis Domino dicatus,
Romulo felix adolescat ostro;
Sicque post illos simili perennent
Stirpe Nepotes.

Sentit

Sentit hæc cælum, Deus iſta ſentit.
Spem bonam & certam cano BARBARINIS.
Non ſolent Vates agitante CHRISTO
Falſa monere.

LECTORI.

HEVS *Tu: extra ordinem eſt, vt vides, hæc Silua. Sed an non præſtat hîc dari, quàm omitti? Illuſtris certè* VRBANIANÆ *Coronæ radius accedet, nec intempeſtiuè hoc qualecumque officium pietatis diuo* BORGIÆ *exhibuerim. Nuſquam ſera pietas, ſi pietas eſt. Cùm igitur in operis decurſu prætermiſſa fuiſſet à me tanta virtus, obliuionis me huius admonuit magnus & Regius Architypographus. Monentem audiui, vt oportuit; obliuionem penſaui hoc carmine. verùm cùm, opere iam propemodum typis excuſo, collocari ſuo domicilio non potuerit; hîc debuit, vt fruerère.*

FRANCISCVS BORGIA ARIS ACCEPTVS.

ERAT quoque præclara inter VRBANI opera FRANCISCVS: in tantum celebrandus, quantum vel nobilitas intelligi à quoquam, vel ſanctitudo poteſt. Nihil nobilius in totâ gente BORGIARVM fuit: ſed neque ſanctius quidquam Societas IESV habuit. Natus vt Regum vices obiret; Deo ſerui-re,

re, quàm aliis imperare maluit. Omnem ætatem ſic exegit, vt non tam alumnus Virtutis, quàm ipſa Virtus videretur. Nullum eius contumax factum, nullum leue: omnia ex moderatione & prudentiâ. Pietate ſemper in omni vitâ, ætate prouectus religioſis votis magnus fuit: per hæc ſanctitatis fundamenta quæ in mundo iecerat, ſic extulit, vt ſicut anteà celeberrimos inter ſæculi Heroës eminebat; ſic inter Sanctos ſanctimoniâ maximè excelleret. Corpore in terris, animo in cælis verſabatur. CHRISTVM in myſticâ hoſtiâ tam ſtrenuè coluit, vt latentem ſentiret, amaret præſentem. Sic ſecum & cum corpore egit, quaſi cum hoſte ageret; quem penitus domitum vellet, ne ab illo virtutis in curſu tardaretur. Gloriam tam cupidè fugit, quàm ceteri auidè ſectantur. Sed, opinor, nemo ſe in irritum vnquam abiecit: quo quiſque faſtum animoſiùs calcarit, hoc euehitur altiùs: certâ lege Numinis, vt qui ſe infra mortales collocant, ſupra mortalitatem efferantur. Dum ſe demittit BORGIA, dum gloriam in Societate IESV condit, ex opulentiſſimo Duce, inops; ex Prorege, alieno iuri ſub pulcherrimâ diſciplinâ mancipatus, famæ & ſplendori prælufit. Iam certè ad aras accipitur: pro coronâ perituro è metallo textâ, capit æterni diadema fulgoris: pro relictâ ditione Gandiæ, templa ſibi araſque totum per orbem VRBANI beneficio poni gaudet. Numquid ma-
iora

iora est adeptus, quàm reliquerat? Sic se demittere, surgere est: sic sibi mori, Deo viuere: per hanc denique fragilium honorum fugam, laus nullo vmquam æuo moritura comparatur.

SILVA VIII.

QVis nouus occiduo Sol exerit ora cubili?
Quódve recens sero lucet ab axe iubar?
Síccine non vestro proditis ab æquore flammæ?
Síccine inassueto tramite Phœbe redis?
Fallor, an ista tui non sunt miracula vultus,
Luxque alio nobis purior ore micat?
BORGIA *Gens magnis Heroïbus agnita mundo,*
Hoc etiam mundo Sidere grata venis.
FRANCISCI *lux ista tui est: huic Arbiter orbis*
Cælicolas inter nomen habere dedit.
Hinc noua per gentes meritorum lumina fundit:
Lumina fundentem vesper & ortus amant.
Hunc tu aris supplex, sanctis hunc accipe templis:
Auctorem attollas dia propago tuum.
Vos quoque Iesuadæ (vestræ laus ille coronæ
Non leuis, & sacri pars fuit ampla chori)
Iesuadæ magni solido de marmore templa
Seu Socio vestro ponite, siue Patri.
In foribus pheretrum Augustæ & deforme cadauer,
Et iaceat leto fracta ISABELLA *suo.*
FRANCISCVS *iuxtà mutatum in lurida vultum*
Horreat, & dominæ iuraque vimque necis.

Hæc facies illum dubiâ reuocauit ab aulâ,
Caussasque ad CHRISTI *signa sequenda dedit.*
Interior paries pulchram explicet ordine vitam,
Quamque aulæ impendit BORGIA, *quamque Deo.*
Hinc Ognatensis surgant loca vasta recessus:
Secessum meritis impleat ille suis.
IVLIVS *hinc Latium* FRANCISCO *deferat ostrum:*
Delatum sanctè respuat ille decus.
Hîc Superûm in varias dispergat dogmata gentes,
Quas Tagus, & Bætis, quasque Sicoris obit.
Dogmata spargentem populorum turba sequatur,
Et sancti clamet se Ducis ore trahi.
CAROLVS *hîc siluæ mirabilis accola, vitam*
FRANCISCO *apperiat propositumque suum:*
Vt spretis aquilis, summo de culmine rerum
Venerit occulti saxa habitare iugi.
FRANCISCVS *probet hos animos: cumque omnia Cæsar*
Vicerit, hîc etiam se superasse canat.
Felicem Augustum, nec non Te BORGIA! *victo*
Queis mundo ad Superos tendere cura fuit.
Parte aliâ pullâ Dux fortis veste verendus,
Castra pio ductu Loiolæa regat.
Hos velit Eoi trans littora currere ponti:
Hos velit Occidui solis adire domum.
Opponat Luthero alios. Sceleri instet vbique;
Et sancta ex omni gente trophæa ferat.
Non procul hinc Latiæ portet mandata Tiaræ,
Europæque Duces ad sacra bella vocet.

Hinc Venetos, hinc Te Regum ter maxime, per quem
Aucta & defensa est sæpè PHILIPPE *Fides;*
Nec minùs aduerso iactatos turbine Gallos,
Cumque suo inuisat turbida regna Duce.
Gallia mira olim cultrix Fideique Deique,
Hei mihi quàm dispar tum tibi vultus erat!
Tempore non alio Caluini perfidus error
Sæuiùs in Superos arma cruenta tulit.
His vbi cælatus paries effulserit actis,
Templo insignem aram construite in medio.
Virtutes circà assurgant, Pietasque, Pudorque;
Stetque suis flammis conspiciendus Amor:
Sanctus Amor, vultu æthereo, pennisque coruscus,
Virgineâ crispans ignea tela manu.
Fulgeat Integritas, Prudentia fulgeat, & quæ
Verbere continuo membra animumque domat.
Has habuit vitæ comites: his fortiter vsus
Extulit egregium BORGIA *ad astra caput.*
VRBANVS *nitido has inter fingatur in auro,*
Triplex præcingat cui diadema caput.
Illius è labiis, spiranti in imagine, sancta
Aut hoc aut simili lemmate dicta fluant:
FRANCISCI *meritis propriam decernimus aram:*
Cultum hîc à populo, quem meruere, ferant.
Ergo humiles FRANCISCVM *omnes lætique colamus.*
Indigeti non sunt thura neganda nouo.

APPROBATIO CENSORIS.

HI quinque Libri, in quibus magna Magni Pontificis facta Stephanus Simoninus, Theologiæ & Iuris Canonici Doctor, eleganter & disertè complectitur, nihil continent, quod aut rectæ Fidei aut bonis moribus aduersetur: quare imprimi poterunt & diuulgari. Louanij v. Kal. Martij M. DC. XXXVII.

Antonius Louerius S. T. L.
Apostolicus & Regius
Librorum Censor.

CVM Priuilegio PHILIPPI IV. Hispaniarum & Indiarum Regis Catholici, ac Potentissimi Belgarum & Burgundionum Principis, ad sexennium.

J. Cools.

181


ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA

BALTHASARIS MORETI.

M. DC. XXXVII.


LABORE ET CONSTANTIA.


183

